UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Lib. XLVIII. De Ordine iudiciorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

# DE ORDINE IVDICIORVM, LIBER XLVIII.

## De ordinatione iudiciorum in genere. Cap. 1.

1 *Libri 48. ad ſuperiores continuatio.*
2 *Ordo iudiciorum quid, eius diuiſio, & qualis in Gallia ſeruetur, num. 3.*
4 *Ordo quis ſeruandus ſecundum auctoritatem præſcribentis.*
5 *Ordinis iudiciorum tria præcipua capita, & num. 6. & 7.*
8 *Ordinis iudiciorum conſtituendi rationes.*

1 POſtquam † ſuperiori libro, de rebus iudiciorum, &
de perſonis iudicum abunde, vt opinor, dictum eſt:
exigit methodus, vt ad ordinem perueniamus, &
veluti in praxin iudiciorum contemplationem ad-
ducamus. Siquidem, vt ait S. Pompeius Feſtus, *Or-*
*diri eſt, rei principium facere: vnde & togæ vocantur exorditæ.* Sed
& ordinare principio partes conuenientes & conſequentes ad-
2 dere. ¶ † Ordo quippe eſt iudiciorum, rerum, & negotiorum lo-
co certo tempore & modo in lite gerendorum apta ſeries & diſ-
poſitio, cum contextu continuo. Cicero *1. Offic.* definit ordinem
3 eſſe *compoſitionem rerum aptis & accommodatis locis.* ¶ † Et poſtea,
εὐταξίαν, in qua intelligitur ordinis cõſeruatio. Iudiciorum ordo
duplex, ſubſtantialis, & non ſubſtantialis. Subſtantialis ille, qui
omiſſus vitiat iudicium, *Anchar. conſ. 166. circa fin. Felin. in ca. 1. de*
*lit. conteſt. col. 4.* quia ſubſtantia, per quam res tantum eſſe & ſubſi-
ſtere poteſt, non adeſt. Et ita prolata ſententia contra hunc ordi-
nem iudiciorum non ſubſiſtit, *l. prolatam, de ſent. & interloc. omn.*
*iud. C.* Quemadmodum in aliis, omiſſio ordinis neceſſarii vitiat
actum, *l. 2. §. prius, de vulg. P. l. vt debitum, de here. actio.* vel ipſo iu-
re, vel facto iudicis, *l. 1. cum ibi nota. C. de appellat.* Hic ſolemnitates
maiores, & formulæ ſeu ſtylus curiarum, ſeruantur, quodq; prius,
quodve conſequenter, & vltimo loco mandatum eſt fieri. Non
autem ſubſtantialis dicitur ordo ille, quo prætermiſſo ſuſtineri
poteſt geſtum, & ſine quo iudicium legitime procedit: ad quem
pertinent illæ priſcæ formulæ ſtyli cuiuſque curię, & quædam le-
ues obſeruationes, & quæ ex cauſſarum neceſſitate omitti impu-
ne poſſunt, *l. 2. de for. imper. ſubl. C. c. dilecti, de iud.* quia veritate rei
ſimpliciter inſpecta & probata, repudiamus iuris apices, *l. ſi fide-*
*iuſſor. §. quædam mand. P.* iuriſque ſubtilitates, *l. ita vulneratus, ad*
*leg. Aquil. P. l. ſunt perſonæ, 43. de relig. & ſum. fun. P.* Et Philippus
Pulcer Rex Galliarum edixit, propter ineptitudinem libelli, vel
ob iuris omiſſam ſolemnitatem, dummodo ex probatis de nego-
tio conſtet, non eſſe prætermittendam vel differendam ſenten-
tiæ prolationem. Diximus de his antea, dũ egimus de iudicio or-
dinario vel extraordinario, *ſup. lib. 47. ca. 6.* Neq; in Gallia iudices
Iuriſcõſultorum ordinem per omnia ſeruant, ſed rei veritate in-
ſpecta ad examina cauſſæ perueniunt, *Guid. Pap. q. 58. Boer. ad §. 2.*
*gloſſ. 1. de iuriſd. omn. iud. in conſuetud. Biturig. Bened. in ca. Raynu-*
*tius, ad ver. ſi abſque liberis, in ſubſtit. fideicommiſſaria.* Sic & acci-
dentalis & voluntarius ordo, non ſubſtantialis dici poterit, quod
adſit & abſit ſine actus corruptione, *vt in l. ambiguitatem, & l. præ-*
*poſteri, C. de teſtam.* qui interdum requiritur, & interdum non re-
quiritur, *vt in l. vt gradatim, de muner. & honorib. l. honoris, in prin.*
*de decurio. P §. ordinatione, de monach. in Auth.* Vt ecce, in his quæ
certam habent voluntatem, in inſtrumentis vel ſcripturis, non
valde ordinem poſitionis exquirimus, *l. nec enim, 6. de ſolutio. P. l.*
*cum pater, 79 § fidei tuæ, de legat 2. l. quidam, de pecul. leg. P.* contra
in incertis, ad euitandam confuſionem, *l. generaliter, 24. §. ſi quis,*
*de fideicom. libert. P. l. quoties, 41. in princip. de vſufruct. & quemad.*
*quis vtat. P.* Atque in aliis, in quibus poſitio vel aliud inuoluit ne-
gotium, ordinem ſequimur & perpendimus, & deſideramus, *l.*
*2. § prius, de vulga. P. l. cum vnus, de bon. auctor. iudic. poſſid. P. l. ſi fi-*
*nita, §. ſi plures, de dam. infect. P.* Et ita ſubſtantialis ordo ad confu-
ſionem vitandam actuum, ſeruari debet neceſſario, *§. ſi quis au-*
*tem non implens, de hered. & Falc. in Auth. c. ad petitionem Galterii,*
4 *22. de accuſat.* ¶ † Habebitur autem ratio a quo fuerit præſcriptus
obſeruandus ordo, an a lege generali, vel ab ſtylo, vel a iudice qui
de cauſſa cognoſcit, & per ſententiam præſcribit. Nam ſeruandæ
leges vi generales regni, *l. leges vt generales, & l. leges ſacratiſſimæ, C.*
*de legib. l. cum iis, de tranſactio. P. l. a diuo Pio, §. in venditione, de re*
*iudic.* magis ſtylus receptus, & proba conſuetudo localis, *ca. 1. de*
*conſuet. in 6.* ſed fortius mandatum iudicis, *l. ſi prætor, de iudic. P. l.*
*fin. ne quid in loc. publ. P.* cui conſilio adhibito ſic ordinem ſerua-
ri quem propoſuit expedire viſum eſt. Eaque quæ mandantur ſe-
cundum præſcriptum tenorem exſecutioni demandanda ſunt, *l.*
*diligenter, mand. P.*

¶ † Omnis ordo porro iudicialis in tria capita deducitur in vni- 5
uerſum, quorum primum docet principia & veluti pręludia litis,
& præparat viam conteſtationi legitimæ negotii principalis: &
hoc caput in conteſtatione cauſſæ, vbi ſtatus cauſſæ exponitur, fi-
nem accipit: ante enim fiunt velitationes leues, & libelli exhibiti
iudici præcedunt aliquando, vel inquiſitiones, & querimoniæ, ex
quibus decernitur vocatio in ius, vt ſæpe in criminalibus accedit
citatio, agiturq; in primis congreſſibus de ipſa vocatione, & num
coram iudice competenti fiat, num competat exceptio vel præ-
ſcriptio fori, vel ratione iuriſdictionis non idonei iudicis, ex cauſ-
ſa rerum controuerſarum, priuilegii perſonarum, vel domicilii
earum, recuſationis iuſtæ iudicis: & de aliis exceptionibus mo-
rantibus ingreſſum iudicii. Expenditur & contumacia, iuramen-
tum calumniæ, & ſatiſdatio: poſtea petitio fit rei principalis in iu-
dicio, in auditorio, ſeu per oblationem libelli, ex quibus ſequitur
conteſtatio.

¶ † Hac facta caput ſecundum ordinis dirigitur ad principale 6
negotium, & ſtatu cauſſæ conſtituto, eoque dubio, examinantur
exceptiones etiam, ſi quæ dilatoriæ vel peremtoriæ, interroga-
tiones fiunt & reſponſiones, confeſſiones, negationes, iiſq; con-
trariis decernuntur probationes vtrinque, dantur ea de cauſſa di-
lationes. Subinde edũtur ex præcepto iudicis factæ probationes,
& acta quæ negotio inſeruiunt, concluditur totum negotium, &
quieſcunt litigantes, eiurant ſe nihil velle amplius dicere vel ce-
dere, & cauſſam omnem iudicis ſententiæ, vt inſtructam & para-
tam relinquunt. Et hactenus explicabitur Deo volente hoc li. 48.
¶ † Tuncque caput ſecundum finitur, & incipiunt partes iudicis 7
circa prolationem ſententiæ, iſque accurate omnia conſiderat: &
primum ex cauſſa agentium, defendentium, & perſonarum, quæ
negotia tractarunt, & eorum, qui pro his litibus ſe immiſcuerũt,
item fori & cauſſæ exceptiones. Et poſtremo loco, quod etiam, ſi
Deus voluerit, abſoluemus lib. 50. conſultat, interdum refert ad
principem ipſe, interdum & litigantes ſupplicant principi, inter-
dum pro ſententia dicenda declarat ſibi non liquere, aut interlo-
cutoriam vel diffinitiuam ſententiam conficit & profert, abſol-
uit, vel condemnat. His aliquando acquieſcunt contendentes, ſę-
pius autem prouocant ad maius tribunal, in quo ſi appellatio alia
non liceat, res fit iudicata, ſequitur exſecutio, litis & iudiciorum
finis. ¶ † Ita ſuo marte & legitimo tramite hæc miſera ciuilis belli 8
œconomia, ſuis gradibus diſpoſita & abſoluta remanet. Sic enim
teterrimæ neceſſitatis leges compulerunt, etiam in inordinata
hominum contentione ordinem quærere, ne ex vna contentio-
ne infinitæ orirentur. Neq; enim, vt ait Car. 7. rex Gallorum, art.
1. ſuarum conſtitutionum, regnum poſſet perſeuerare vel ſtabi-
liri ſine iuſtitiæ probo ordine. Nihil enim inordinatum fieri de-
bet, vt ait Iuſtinianus, *§. ſi quis autem nõ implens, verſ. inordinatum,*
*de hered. & Falc. in Auth.* ſiue de ciuilibus, ſiue de criminalibus a-
gamus, *c. qualiter & quando, § pen. & fin. de accuſ.*

## De citatione, ſeu vocatione in ius. Cap. 2.

1 *Citatio, primus actus iudicialis.*
2 *In ius vocatio quid eſt.*
3 *Adiournement, quid ſit diſputatur, & nu. 4.*
5 *Citatio quot modis fiat, & nu. 6. 7. 8. & 10.*
9 *Citatio quæ dicatur re ipſa fieri.*
11 *Sententia non valet contra non vocatum, pro eo valet.*
12 *Prehenſio perſonæ non datur pro ciuili cauſſa.*
13 *Vocatio in ius fit vel per apparitores, vel per iudicem, & num. 14.*
15 *Citatio, qua forma fieri debet, & nu. 6. & 17.*
18 *Domicilium citationis faciendæ cauſſa quale legitimum dicatur.*
19 *Præco quomodo vocet in ius, & vbi.*

20 *Adior-*

20 *Adiornamentum debet eſſe libellatum, excepto vadimonio.*
21 *Citatio die feriata an fieri, & ad diem feriatam, poſſit. & nu. 23.*
22 *Citatio ad diem, & locum certum fieri debet.*
24 *Condictio in ius quomodo olim fieret.*
25 *Vocationis in ius finis, & rationes. & nu. 26.*
27 *Iudicio nemo ſiſti debet, niſi iuſſu iudicis.*
28 *Inauditus damnandus non eſt, quantumuis malus.*

1 PRimus †qui fit in iudicio actus a vocatione incipit, §. *omnium,*
*de pœn. tem. litig. apud Iuſtin. l. 1. de exſecut. rei iudic. C.* etiamſi a-
gatur de quæſtionibus ſeu controuerſiis ſummarie & de plano
decidendis, *C. cum ſæpe & citationem, de verb. ſig. c. quoniam contra,*
*ibi citationes, & c. de proba.* Quia libellus qui offertur interdum iu-
dici, aut inquiſitio criminum, ex cuius inſpectione prehenſio vel
vadimonium, vel citatio decernuntur a iudice, non dicuntur eſſe
actus iudiciorum, vel ex proceſſu, vt loquuntur, *l. libertus aduer-*
*ſus, in 2. de in ius voc. P.* Vt non mirum, ſi per libellum adiri feriatis
dieb. poſſit iudex, *l. miles, 11 §. ſexaginta, de adul. P.* iuſtitio exſiſten-
te, & quo tempore lis agitari, vel iudicium, vel vocatio nō poteſt,
2 *gl. & interp. in c. ſi. de iudic. & in l. 1. de fer. in P.* ¶ †In ius vocare, eſt
citare, iuris experiundi cauſſa ad iudicem vocare, *l. 1. de in ius voc.*
*P. §. fin. de pœn. tem. litig. l. 1. §. cum quoq; de eden. P.* Putat Goueanus
*lib 1. lectionum var. iuris, c. 48.* in ius vocare non eſſe, id quod nos
dicimus *adiourner,* ſed in ius ad Magiſtratū manu ducere: primo,
ex Terentio, dum ait, *in ius ambula:* ex Plauto, *in ius rapiam te.* Se-
cundo, ex *l. 2. de in ius voc. P.* vbi Pontifex dum ſacra facit, iſq; qui
propter religionem loci inde ſe mouere non poſſit, qui in cauſſa
publica equo trāſuehitur, qui vxorem ducit, vel familiare funus,
& ſimiles, vocari in ius non poſſunt: quia ire non poſſunt. Tertio
probat, ex eo quod Prætor propoſuerit, tit. *Ne quis eum qui in ius*
*voc. eſt, vi eximat.* Et tit. *In ius vocati eant.* Quin eximere, eſt vi
de manu auferre. Et quarto, quod recenſeat Val. Max. lib. 2. de in-
ſtitutis antiquis, mulieris in ius vocatæ corpus tangere licitū non
fuiſſe. Hæc Goueanus. Cui tamen non adſtipuler, cum inter ma-
nuductionem ſeu prehenſionem & vocationem, valde intereſſe
doceat Gell. *lib. 13. c. 12. Labeo,* inquit, *Antiſtius a Tribuno pleb. per*
*viatorem vocatus vt veniret, & mulieri cuidam reſpondere iuſſit eū,*
*qui miſſus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos non habere ſe neque*
*quemquam alium vocandi: cum moribus maiorum, Tribuni plebis*
*prehenſionem haberent. vocationem non haberent. Poſſe igitur eos ſe*
*prehendi & venire iubere, ſed vocandi abſentem ius non habere.* Ad-
dit & Gell. eos qui vocationem habent, & imperium & prehen-
ſionem habere, ſed non contra. Vnde cōſtat vocationem quidem
latius patere, quam conſtituat Goueanus, quia verba illa, *iuris ex-*
*periundi cauſſa vocare,* pertinent & ad comprehenſum, & ad ſim-
pliciter vocatum. Vnde & in praxi, *adiourner,* eſt etiam vocare,
vel prehēdere, vel vadimonium ſtatuere, vt die certa iudicio quis
ſe ſiſtat, vel per ſe vel procuratorem, ſecundum negotii qualita-
tem. Et ita quod ait Goueanus, in ius vocare, eſſe interdum in ius
rapere, fatendum eſt: ſed non omnem vocationem, inde ſequitur
eſſe manuductionem: quia vocatio genus eſt, prehenſio ſpecies,
quamuis improprie. Nam aliud eſt proprie vocare, aliud ducere.
Iudicium quoq; accipere non tantum quem per ſe, ſed etiam per
procuratorem poſſe, explorati iuris eſt, *l. recte defendi, 63. de iud.*
3 *P. ſumit l. 3. & l. poſt litem, 17. de procura. in P. cum ſimil.* ¶ †Atque re-
ſponſum eſt, vocatum omnem in ius, non ſtatim venire debere:
quod fieret tamen, ſi duceretur & raperetur in ius: ſed datur dila-
tio vocato quædam ad componendos penates, antequam liti in-
cumbat: & vt conſultet, num velit defendere, vel liti cedere. Eaq;
de cauſſa vocationis libellus vocato editur, quo & cauſſa & dies,
qua defendere debet, continetur, *l. 1. de eden. P.* quod in praxi dici-
tur, *bailler exploict de l' adiournement, & bailler aſſignation a iour*
*competant.* Et proinde propter hāc vocationem ad diem certam,
mouetur quæſtio de cōtumacia, quod quis vocatus die ſtata non
venerit, *in l. ſi quis ex aliena, de iud. P.* dantur quoq; excuſationes,
cur ſtato tempore ventum non ſit, *l. 1. 2. 3. & ſeq. ſi quis caut. iud. ſi-*
*ſten. cau. fact. non obtem.* Recte ergo adiornamenta dicuntur voca-
tiones in ius ad certam & ſtatam diem. Diem enim Galli vocant
*iour,* nos Tholoſani *iom,* quemadmodum & Hebræi יוֹם, *iom.*
vocant & iura Pontificia citationes, *c. quoniam contra, de probatio.*
4 *cum ſimil.* ¶ †Citare etiam apud bonos auctores, eſt vocare: vt a-
pud Ciceronem 1. Verrina, *Citat reum, non reſpondit: citat accu-*
*ſatorem,* &c. Et iterum pro Cluentio, *Cognoſcite nunc ita reum ci-*
*tatum eſſe illum, vt re ſemel atq; iterum præiudicata, condemnatus in*
*iudicium venerit.* Et alibi paſſim. Neq; admiſerim, citationem ad
vocem præconis tātum referri, niſi & vocem illam intelligamus,
quando apparitor vocat, & diem dicit vocato priuatim ſiſtendi
vel defendendi. Itaq; vocatio ſeu citatio, genus erit, habens ſpe-
cies ex modo vocandi diſcretas.

¶ †Nam quidam vocantur viua voce, quidam per edictum ſeu 5
literas aut codicillos, per nuntium, ita vel per epiſtolam, vt ait *l.*
*ſed & interpellatur, 54. §. 1. de recep. arb. P.* quidam reipſa. Viua voce
vocatio fit, vel priuatim, vel publice: priuatim, quando apparitor
deprehenſo ſeu inuento vocando, vel in propria domo, vel alibi,
diem dicit, & vocat in ius, *l. 4. §. Prætor ait, de dam. inf. P.* interdum
ſola viua voce, ſi ſtylus & conſuetudo ſit, vt ſine literis mandato
iudicis apparitores poſſint vocare. Item ſi præſentes inueniantur
in iudicio, qui neceſſarii ſunt controuerſię decidendæ, non aliter
vocantur, quam viua voce iudicis, qui iubet vt reſpondeant, vel
adſint certa die iudicio reſponſuri, vel ſuam cauſſam defenſuri,
*Auth. ſi omnes, ſi minor ab her. ſe abſt.* data dilatione petentibus ad
inſtruendam reſponſionem vel litem, ad quam vocantur, *Anton.*
*Butrig. ad c. ſi. de iud. Bar. Bal. & Ang. ad l. 1 de in ius voc. P.* Neque
enim alia vocatione eget, qui præſens inuenitur, cum finis cita-
tionis ſit comparere. Et ideo cum præſente etiam non vocato ali-
ter, qui defendit, valet iudicium: & perinde habetur, ac ſi vocatus
fuiſſet, *d. Auth ſi omnes.* ¶ †Publice per vocem præconis fit ſolem- 6
nis vocatio, per edictum peremtorium, *Auth. qui ſemel, & l. tres,*
*C. quom. & quan. iud. l. diuus, de in inte. reſt. P. l. ſi. C. de fer.* quod vo-
camus in praxi, *adiournement a tres briefs iours.* Peremtorium edi-
ctum dicitur, ad quod peruenitur ordine: vt initio quis petat poſt
abſentiam aduerſarii, edictum primum: mox, alterum per inter-
uallum non minus decem dierum, & tertium: quibus propoſitis,
peremtoriū impetret. Quod inde hoc nomen ſumſit, quod peri-
meret diſceptationem, *l. ad peremtorium, 68. cum duab. ſeq de iud.*
*P.* In peremtorio comminatur abſenti is, qui edictum edit, etiam
abſente vocata parte cogniturum ſe & pronuntiaturum, *l. in per-*
*emtorio, 71. eod. tit.* Ita & poſt edictum peremtorium impetratum,
cum dies eius ſuperuenerit, & abſens citari debet, & ſiue reſpon-
derit, ſiue non reſponderit, agetur cauſſa, & pronuntiabitur: non
vtique ſecundum præſentem, ſed interdum vel abſens, ſi bonam
cauſſam habuerit, vincet. Quod ſi is qui edictum peremtorium
impetrauit, abſit die cognitionis: is vero aduerſus quem impetra-
tum ſit, adſit, tunc circumducēdum erit edictum peremtorium,
ceteraq; deinceps exſequenda, quæ tradit Vlp. *in l. & poſt edictum,*
*73. de iudic. in P.* Admonet tamen idem, *in l. nonnunquam, 72. eod.*
quando dentur, & nū tria edicta præcedere ſemper debeant per-
emtorium. *Nonnunquam autem,* inquit, *hoc edictum,* ſcilicet per-
emtorium, *poſt tot,* videlicet tria, *numero edicta, ſiue præceſſerint,*
*datur: nonnunquam poſt vnum vel alterum, nonnunquam ſtatim,*
*quod appellatur vnū pro omnibus. Hoc autem æſtimare oportet eum,*
*qui ius dicit, pro conditione cauſſæ, vel perſonæ, vel temporis, & ita or-*
*dinem edictorum vel compendium moderari.* Ex conſt. Nouella Iu-
ſtiniani, hodie adiicitur non tantum decem dierum interuallum,
vt olim, ſed & triginta, §. *omnem vero cauſſarum finem, verſ. ſi vero*
*cauſſam perſequi diſtulerit, de litig. in Auth. Exſtat hac de re conſti-*
*tutio Eman. Conneni, Cæſ. 13. tit. περὶ μηνύσεως τῶν ἀπόντων, de vocat.*
*abſentium, lib. 1. iuris Orienta.* ¶ †Secundo citatio ſeu vocatio per 7
edictum fit, quando edicta vocationis ſcripto comprehenſa pro
roſtris figuntur, ſeu, vt cum vulgo loquar, in loco publico, vel do-
mo ex qua quis euocandus eſt, literæ, citationiſque expleta affi-
guntur, *l. 1. §. præſides, de req. reis, P.* vel exempla porriguntur alicui
ex domeſticis eius qui vocatur, vel vicino proximo, *l. 1. de lib. agno-*
*ſcend. P.*

¶ †Sic enim traditum eſt, denuntiationem ad domum fieri de- 8
bere, ſi in perſona quis non poſſit comprehendi, *d. l. 1. §. permittit,*
*eod.* ſaltemque primam citationem cuiuſque negotii ad domum
fieri oportere, §. *ſi vero, de exhiben. reis, in Authent.* & vt frequen-
tius, cum mandatis ſeu literis iudicis, ſine quibus nullus vocari
debet, *l. final. C. eod.* Ideo apparitor, qui non inuenit in domicilio
vocandum, debet & mandati & vocationis exſecutæ exemplar
domeſticis relinquere, vel domus vocati valuis affigere, adiectis
teſtibus, qui adfuerint, cum quibus mandata ſe expleuiſſe refert.
Creditur autem relationi apparitoris, vt aſſertioni iudicis, *l. dies*
*cautionis, §. Prætor ait, de dam. infect. P.* Sed hodie in Gallia mini-
me creditur, niſi teſtes adhibiti ſint, cum explere non poſſit, vel
exſequi mandata apparitor ſine teſtibus, qui recordentur, ſi opus
erit, ſe interfuiſſe relatis, *ex conſtitut. Aureliacen. art. 93.* Quod &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in titul.1.legis Salicæ, cautum eſt, §.3. dum dicitur *manuitionem*, vt vocat vocationem, *in ius per manuiẽtes fieri debere ad domum manuiti, cum teſtibus: & eum manuire debere, aut vxorem eius, aut aliquem de familia, qui ei poſſit notũ facere, demto eo, qui in ambaſciata, ſeu legatione principis eſt, qui manuiri non poteſt.* Nec ſufficit in relatione expletorum dixiſſe apparitorem, ſe exſecutum fuiſſe, vel vocaſſe quempiam, præſentibus vicinis, niſi & in indiuiduo nomina & cognomina adiiciantur, ſaltem duorum præſentium, vt dictum fuit placito curiæ ſupremæ Pariſiorum, 6. Martii, 1542.
9 *Pap.lib.1.rapſod.areſt.tit.4.areſt.7.* ¶† Tertio, citatio ſeu vocatio, quamuis improprie, dicitur reipſa fieri, per captionem ſeu prehenſionem, *Accurſ.in l.conſentaneum, C.quom. & quand.iud.* cuius ſpecies eſt vadimoniũ, vel manuductio, vocant *adiournement perſonnel, main miſe.*

10 ¶† Addi poteſt alia vocationis ſpecies, quæ per tubam, vel ſonitum campanæ fit: quando vocãda eſt vniuerſitas in locum conſilii, *gl. & Bar.in l.2.de decur.lib.*11. *C.* vel capitulũ conuocandum, *gl.in c.ſi capitulo, de conceſſ præb.in 6.ad verb facta, gl. & Clem.2.de ſen.excom.eſt tex. & ibi Panor.in c.in cauſſis, de elect.in* 6. Et hoc eſt munus vnum ſonitus campanæ. De aliis videbis Io. And. & Pan. *in c.1.de offic.cuſto.*

11 ¶† Vocatio in ius habet cauſſam materialem, lites: iuris enim experiundi cauſſa fit. Nam de omnibus cauſſis, in quibus proceditur etiam ſine ſtrepitu & figura iudicii, ſine citatione ſententia lata valet pro abſente non citato, *Alex.in l.furioſo, col.2.de re iud. Barto.ad extrauag.quomodo proced ſit in crim.læſa maieſt.in ver. & figura, poſt lib.feu.* in aliis non valet, ſed vocandi ſunt, quorum intereſt, *in l.de vnoquoque, de re iudic.P. l.nam ita diuus, de adopt.l.ſi quando, & ibi Bal.de teſtib.C.* & qui, ſi præſentes eſſent, contradicere poſſent, & actum iudicialem impedire, non aliter, *Alex.in l.recuſare, in prin.ad Trebel.l.4.§.1.de fideicom.lib.Pau. Caſt.conſ.34.*
12 *vol.2.* ¶† Pro pecuniaria cauſſa & ciuili, non facile datur prehenſionis decretum, vel vadimonium, *l.nemo. de exact.tribu.* ſed pro criminali cauſſa, *c.1.de iud.in 6.* Et regulariter, nemo de domo ſua inuitus extrahi debet, vt in ius veniat, *l.nemo, de reg.iur.P.l.plerique, 18.de in ius voc.P.ratio in l.ſatiſq; pœnæ, 19.eod.tit.* neque agere quiſquam, vel defendere cogitur, vt habetur in tit. & rub. *vt nemo inuit.age.vel accuſ.coga.lib.3.C.tit.7.* Si tamen incidat in criminalem ciuilis prehenſio decernitur, vt pro contumacia, *l.conſentaneum, C.quom. & quand.iud.§.ſi vero etiam, de exhib.reis, in Auth.* ſi nolit condemnationem ſoluere, *l.1.C.qui bon.ced.poſſ.* ordine exſecutionis ſeruato, ſi debitor fugiat, *l.a diuo Pio, §.in venditione, de re iud.P.melius l.cum eo, ad l.Iul.pec.P.* iubetur vocatio a iudice.

13 ¶† Fit autem vt plerumque per apparitores, vel nuntios, *l.ait prætor, §.ſi debitorem, quæ in frau.cred.P.* cum mandatis iudicis vt dixi. Et de apparitoribus legitimis, videbis quæ dixi lib.47.ca.40. Ipſe & interdum iudex ſtatuit diem litigandi præſenti, vt adſit. Alius priuatus, niſi habeat apparitoris officium, hodie non citat: explicat tamen vocato, iudicis iuſſum actuarius cauſſæ.

14 ¶† In appellationibus factis a Paribus Franciæ, Rex conſueuit adiornare per literas ſuas, quæ mãdantur eis præſentari per Bailliuum regium vel ſeruientem ab eo commiſſum. Similiter ſcripto iure, viri clariſſimi vocãtur de mandato Imperatoris, & non aliter, per l.quoties, C.de dignit.lib.12. Maſuer.in praxi, tit. de adiornamentis, §.item in appel. &c.

15 ¶† Forma obſeruata in communi citatione, vt primo mandata intercedant iudicis, *l.1.§ ſed & interpellatur, §.1.de recep.arb.P.* vel ſpeciale de certis vocãdis, quale nunc requiritur, *l.neminem, C.de exhib.reis, §.ſi quis vero plures, de her. & falc.in Auth.* vel generale, vt in locis iuriſdictionis dominorum inferiorum, vbi aguntur cauſſæ leuioris ponderis, quæ ſummarie & de plano, & ſine ſumtibus ſubditorum expediri debent, in quibus Baiulus domini, ſeu *le Baille*, videtur habere mandatum generale de vocandis litigantibus ad iudicem loci, ſi quando iudex etiam ſine ſcriptis iubeat, vt notat Maſuer.tit.de adiornamen.§.2. *facit l.fin.iuncta gl.de iud.P.Auth.niſi breues, de ſent.ex breui.recit.C.*

16 ¶† Prohibet Caroli 8. conſt.art.101. vadimonium non dari, & vt dicunt, non decerni adiornamentum perſonale, ex requiſitione aduocatorum vel procuratorum fiſci, ſine præcedente decreto iudicis: & ne ipſum decretum iudicis, ea de re fiat ſine præcedentibus eiſque perſpectis iudici inquiſitionibus, multo magis idipſum de prehenſione ſtatuendum erit.

17 ¶† Cum conſtiterit de mandato, *c.cum in iure peritus, de off.deleg.* igitur non ante vocare debet apparitor, & ſecũdum eius formam & iuſſa, *docet Maſuer.in prax.tit.de adiorn.§.7.incip.item & ſuper forma, l.1.§.ſi quis ita, de verb.obl. & ibi Bart. & in l.ſi quis pro eo.de fideiuſſ.P.l.diligenter, mand.* & debet cõuenire ipſum vocandum, ſi poſſit in perſona inueniri: ſi vero nõ inuenerit, ſi diligenter perquiſiuit, poteſt in loco domicilii vocare, & referre in expletis ſe non inueniſſe, & ideo eum citaſſe in domicilio: & ſic obſeruari tradit Maſuer. *vbi ſ. §.9. item ſciendum eſt, facit c.1. qui matrim.accuſ poſ.ca.cauſſam quæ, de dol. & contum. DD.in l.4.§.toties, & §.quod ait prætor, de dam.inf.in l.1.§.1.de lib agnoſ.l.ſcire oportet, de excuſ.tut.P.* Diligentia porro perſonam indagandi fit tantum in initio inſtitutionis cauſſæ, cum primum vocatur quis in iudicium: poſtquam enim cœpit intentari lis, ſufficiet facta in domicilio citatio ſimpliciter, *Maſuer.vbi ſ. §.9. & 12.* Nam qui citatus poſtea litem non proſequitur, cenſetur eſſe in dolo & mala fide, *Auth.qui ſemel, quom. & quan.iud.C facit c.cauſſam, de elect apud*
*Clem.* ¶† Si plura aduocanda ſunt domicilia, ſufficit in præcipuo 18
fieri vocationem, aut in eo, in quo dum vocatur habitat, vel in alterutro æque principali. Imo ſufficit in eo loco fieri, in quo reſidere tenetur vocandus, etſi inibi non reſideat, vt in loco beneficii ſeu eccleſia, *c.ſi duobus, de appell.c.ex tua, de cle.non reſid.melius in c.fi.de dol. & cont.gl.in c.quoniam contra, § porro, de prob.nota in l.heres abſens, in princ.de iud.* Si agatur de iuribus dominicis, in loco caſtri vel domo deſtinata dominis eius caſtri, vt habetur in ſtylo Parlamenti, tit.de adiornam. Si domus non ſit, in palo vbi ſolent proclamationes affigi, cum iniunctione facta procuratori domini loci, vt vocationẽ ei ſignificet. Vocatur vxor in domicilio mariti, *Innoc.in c.fi.de eo qui mit.in poſ.cauſſ.rei ſeru.* Erro vero ſeu vagabundus, in loco conſuetæ antea habitationis, vel per publicam proclamationem, vel edicto, *Bal.in l.ſi quando, 11.q.de teſti.C.Soci.conſ.56.3.vol.* Et ſi pro re immobili vocetur, vocatio figitur in re ipſa immobili. Vocatur collegium ſeu monaſteriũ vna cum prælato, in monaſterio vel collegio, in perſona Prioris ſi exſiſtat, ſin minus in perſona eius, qui eſt de collegio, vel de conſortio, vel fit in capitulo cum ſonitu campanæ, *vide c.ſi capitulo, de conceſ.præb.in 6. & ibi gl.* De vtroque Maſuer. in d.tit.de adiorn.§.18. Si mandentur vocari habitantes alicuius pagi, ſufficit vocare Conſules, *l.1. & ibi Bartol.de iure recip.lib.11.C.* niſi forſan mandentur vocari Conſules & habitantes, nam tunc Conſules & maior ſaltem pars habitantium debent vocari, *d.c.ſi capitulo gloſſ. & Bar.in l.non poteſt, de reg.iur.l.in honorariis, §.fin.de act.P.l.collatores, de re milit.c.fin.de maior. & obed.*

¶† Per præconem & tubam fit citationis proclamatio in eo loco, vnde veriſimiliter poſſit vocatus reſcire vocationem, 19 *Clemen.cauſſam, de elect.* Fit & in locis celeberrimis edictis vocationiſque affixio, teſtibus in expletis nominatis qui interfuerunt. At quando agitur, inquit Maſuerius, criminaliter, ad bannum & confiſcationem bonorum, abſens adiornandus eſt in domicilio, necnon in iudicio, & in loco publico, ad ſonũ tubæ, iuxta ea quæ habentur in Clemen.1.de iudic. Et tum publice edictum legitur, & eius exemplar: poſtea affigitur, vt ibi per aliquot dies perlegi poſſit, *Milius in ſuo repert.in verb.citatio quando committitur. Rota deciſ.223.Tiraq.in tract.de vtroq; retra.§.9.in 2.gl.nu.8. & ſeq.* Quomodo autem, & quando deſcribantur & annotentur bona defuncti, vide Iul.Clar.lib.5.ſent.iuris, §.fi.q.44.

¶† Citationis codicilli, ſeu mandatum debet continere cauſſam, ob quam quis vocandus eſt, vt ſciat quam ob cauſſam in ius 20 vocetur, *c.præterea, de dilat.§.ad excludendas, de litig.in Authen.l.aut qui aliter, quod vi aut clam, P.Clem fi.vt lit.non conteſt.* Dicunt conſtitutiones regiæ & praxis, *faut que les lettres d'adiournement ſoyent libellees*, vt breui intentione cauſſam contineãt, vt ait Franciſcus 1. conſt.ann.1539.art.16. *iuxta l.1.de eden.* Quod & Caro.9. ſtatuit, menſis Ian.1563. Edicto *du reiglement de la iuſtice*, art.1. adiecta pœna nullitatis aſſignationis & regreſſu pro damnis inde paſſis, contra apparitorem vocantem, cum etiã olim non expreſſa cauſſa remorari poſſet vocatus iudicium: vel ſi aliud exponeretur in iudicio: quam libello vocatorio cõprehenſum eſſet, dicendo ſe ad id non fuiſſe vocatum, vel inducias ſibi dari poſtulãdo vt deliberaret, & vt aduerſarius ſcripto intentionem ſuam comprehenderet, *c.Aufre in l.edita actio, C.de eden.l.non poteſt, de iud.P.gl. & interp.in c.ſignificantibus, de lib.obl.in ſtylo parl.tit.de aduoc.in fi.* Exigit & conſt.Franc.1. *ſur l'abbreuiation des procez*, ar.22. vt apparitores & exſecutores mandatorum iudicis, teneantur relinquere apographum ſeu exemplar mandatorum & expletorum vocato, vel ei contra quem exſequuntur, ſumtibus actoris ſeu inſtantis aduerſarii, quamuis non petatur. Similis gl.in ca.cauſſam, in verb.*porro*, de elect.in Clem.quamuis, in verb.*oblatos*, de appel.
Clem.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

clem.ſæpe,& ibi Ioan. Andreas de verb.ſignificat.facit auth. offeratur,de libel.oblat.quia offerre,eſt etiam non petenti dare,l. Iulianus,§.offerri,de actio.emt.P. Notandum tamen, ſi vocatus ex mandatis nõ libellatis comparuerit,tenere citationem: item notandum,non inſeri cauſſam vocationis in decretis vadimonii ſeu adiornamentis perſonalibus,ne detur occaſio fugiendi reo vocato,ſed ſufficit mandari,vt veniat reſponſurus inquiſitioni contra illum confectæ. Nam poſtquam venerit,tunc Iudex explicat crimen propter quod vocatus fuit,l.1.C.de exhib.reis,& ibi Salic.& in l.abſentem,de pœn.Bart.in extra. ad reprimendum, ad verb. *per edictum*,quom.in crim.læſ.maieſtat.proc.ſit.poſt feuda.

11 ¶ † Debet & exſecutio mandati die non feriata fieri, in qua ſilent tribunalia:niſi comprehenſum ſit propter certam rationem, adiornamentum fieri diebus feriatis & non feriatis,in loco ſacro vel non ſacro:ſed cauſſa debet eſſe legitima,vt puta, ſi in aliis diebus,nec alibi liqueat non poſſe inueniri vocandum, quia latitet, & ita expediat:cum etiam domicilium ibi, vbi conueniri poteſt, non habeat. Alioquin communis omnium reſolutio & ſtylus habet,fieri non poſſe valide vocationem, niſi die iuridico, *l. ex quacunque,ſi quis in ius voca.non ven.P.l.fin.Cod.de feriis.* etiam ſi quis ita vocetur,vt ſe ſiſtat iudicio,die non feriata,*nota per interp. & Panor.in c.conqueſtum de fer.Paul.Caſtr.in conſ.270.1.vol.*

12 ¶ † In exſecutione etiam vocationis obſeruare debet apparitor,vt dum vocat,certam diem locumque certum dicat, quibus teneatur per ſe vel procuratorem iudicio comparere vocatus. Improbant quippe & inhibent conſtitutiones regiæ vagas & generales vocationes,quibus apparitor iubeat venire in quocunque loco fuerit Iudex,aut poſt feſtum Paſchæ, vel poſt alterum diem feſtum mobilem & variantem,*in conſtitu. Franc.1. ſur les caues & foreſts,art.*24. Aliquando tamen locus nõ adiicitur,vel hora iudicii,cum certitudinem per ſe habent ea, & intelligitur ad horam competentem,locumque conſuetum vocatio facta,*l.ſi locus, de iudic.c.cum a nobis.de electio.*

13 ¶ † Debet etiam conſtitui dies ſiſtendi iuridicus, alioquin ſi dies aſſignatus comparitioni non ſit iuridicus, ſed incidat in feriatum,ſecundum iuris diſpoſitionem non valet, *Doctor.in d.l. ex quacunque, & Panor. in d. c. conqueſtus de fer.* niſi pro actibus fiat vocatio,qui etiam diebus feriatis expediri poſſint,*quales numeraui in l. 2. & 3. de fer. in P. ita explicat gloſſ.fin. in d.l.ex quacunque.* Hodie tamen ex conſuetudine omnium curiarum Galliæ recepta,adiornamentum factum die feriato & ad diem feriatum valet,ſed dies aſſignatus,ipſo iure prorogatur ad diem ſequentem non feriatum,& hoc niſi in Cancellario. Sicque iiſdem fere verbis tradit Maſuerius in prax.titul.de adiorn.§. 6. incipient. *Item adiornamentum factum,vide de his quæ nota.in l.1.§.nuntiatio, & l. 2.de oper.no.nunt.P.glo.in l.dies,& ibi Ioan.Fabrum,C.de fer.Rober. Maranthan,de ord.iudicio.in cita.6.par.num.123.* Dummodo legitimus terminus comparendi comprehendatur adſignatione diei. Nam dari debet idonea dilatio & præfigi in expleto comparendi:puta vt intra 2.3.quindecim dies, aut menſem, &c. Iſque terminus ex more regionum & curiarum definitur, vti viſus fuit ſufficiens & idoneus ad veniendum, & componendos penates, poſt quem debeant ſe ſiſtere,vel procuratorem exhibere, ni velint contumaces, & vt dicunt, deficientes *defaillans*, dici. Id te vulgaris docebit praxis. Et iudex etiam vir bonus poterit dilationem moderari ex diſtantia locorum:quemadmodum & iura docent,vicena millia paſſuum ad ſingulos dies itineris dari, ſubducta etiam neceſſitate legitima impedimẽtorum,*l.1.2.ſi quis caut. iudic.ſiſt.cauſſ.fa.non obtemp.* Et hoc iure in Gallia, & alibi iure ſcripto,viuitur,abrogatis formulis antiquorum, vocandi in ius: vel partim in alium modum eorum nomina deformatis. Nam & teſtes adhibebantur olim in vocatione, quæ fiebant non ab apparitore ſemper, ſed & ab ipſo qui contendere volebat iudicio cum vocato. Ideo qui in ius aduerſarium trahere volebat,prius aliquem de præſentibus anteſtabatur,id eſt,teſtabatur,vel dicebat coram illo,ſe eum in ius vocare. Priuſquam autem illum de teſtimonio ferendo rogaret,eius auriculam attingens imam dicebat,*licet ne anteſtari?* hoc eſt,viſne mihi teſtimonium præbere? illo autem reſpondẽte,*licere*,tunc iniiciebat in aduerſarium manũ, & in iudicium rapiebat. Rationem,quare teſtis adhibendi tangeretur auricula,ſic adfert Plinius,*li.11.c.45.eſt*,inquit, *in aura ima, memoriæ locus,quam tangentes anteſtamur.* Adde etiam ex l. vulgaris eſt,21.de fur.P.vt qui aurem alicuius tangit,totum hominem tangere videatur ex Trebatii ſententia. Fidem iſtius moris antiqui facit Horatius,1.*Serm.Satyr.9.*

> —*Quo tu turpiſſime? magna*
> *Exclamat voce,& licet anteſtari? ego vero*
> *Oppono auriculam:rapit in ius.*

In teſtes autem ita tantum liberi homines accipiebantur, vt innuit Plautus,*in Perſia.*

> *Age*,inquit Saturio,*ambula in ius leno.*
> DOR. *Quid me in ius vocas?*
> SATY. *Illic apud Prætorem dicam,ſed ego in ius voco.*
> DOR. *Nonne anteſtaris?*
> SATY. *Tuan' ego cauſſa carnufex,cuiquam*
> *Mortali libero aures atteram?*

¶ † Sed & Theophilus explicans Iuſtiniani locum de condi- 24
ctione,alium morem refert vocandi:vt qui cum aliquo litem haberet,denuntiaret hoc aut illo die ad iudicium accipiendum, aut ad litem proſequendam adeſſet. Vnde quia condicere, priſca lingua denuntiare ſignificat,omnes etiam perſonales actiones, quibus a perſona peteretur, condictiones dicebantur: vt omnes actiones in rem,vindicationes. Hodie vero καταχρηστικῶς,condictio dicitur,actio,quam actor intentans dicit,ſi apparet hunc dare oportere. Nulla enim hoc tempore aduerſario fit denuntiatio, quoniam non denuntiat ei petitor,vt hoc aut illo die ad iudiciũ, vel ad litigandum veniat,*ita in §.appellamus & ad illum Theophilus,de actio.apud Iuſtin.* Exſpectares hic nos acturos de iis quoq; qui in iudicium vocari poſſint,ſed de illis dicemus commodiori loco,Deo fauente,in lib.49.cap.1. & 2. Interim habes epitomen perſonarum,quæ iure ciuili vocari non poſſunt in ius, in l. 2. & ſeq.vſque ad 12.de in ius vocand.P.

¶ † Finis propter quem vocatio fit in ius, eſt, vt iudicio inter- 25
ſit,ſi velit,vel ſi oporteat, & vt in criminibus adeſſe cogatur vocatus.

¶ † Rationes vocationis plures ſunt, quarum aliquas refero. 26
Primum vocari debere contendentes, quod congruentius ſit & ex dignitate auctoritas publicæ,venire eos ad iudicem quam iudicem ire ad litigantes,*l. iubemus adſcriptitios.3.§.fi.de epiſc.& cler.*
¶ † Item ſecundo,nemo in iudicio eſſe debet, niſi prius a iudice 27
iuſſum fuerit,*l.neminem,de exhib.reis,C.*paucis exceptis, *veluti in ſpecie l.capite quinto,de adul.P.l.ſi in ſeruitute,de furt.P.l.ait Prætor. §.ſi debitorem quæ in fraud.cred.P.l.fin.Cod.de Mathemat. cum ſimilib.* Nec eſt ſingulis permittendum,quod per Magiſtratus fieri debet,*l.non eſt ſingulis,de regul.iur.P.* ¶ † Tertio, nemo inaudi- 28
tus,& niſi vocatus,iudicandus eſt,*l.abſentem,de pœn.P.l.abſentem, de accuſat.C.* Cum,præſentibus iis quorum intereſt, negotia tractanda ſint,*l.de vno quoque,de re iudi.P.clemen.1.eo.tit.ca.Deus omnipotens,2.q.1.clem.ſæpe,de verb.ſign.* aliter ſententia corruit, *l.1. quæ ſenten.ſine appella.reſcin.P.* veluti ex vna parte ſubſiſtens, deficiente forma iudicii,quod duorum litigantium ad minus & iudicis perſona conſtituitur, *l.inter litigantes, & l Iulianus,de iudi. P.* Iudex vnam aurem actori,aliam autem reo conſeruare debet. Neque contra ius naturale & diuinum priuare debet defenſione,quæ naturalis eſt,*l.vt vim.de iuſti.& iure.P.* reum: quod accideret ſi eum non vocaret,vt defenderet. Nos & monet quarto,id faciendum Deus,qui antequam iudicaret Adamum, eum in ius vocauit,*Adam vbi es?* Geneſ.3. Et rurſum ad Cain,*vbi eſt Abel frater tuus?* Geneſ.4. Et quamuis diabolus in iudicio eſſet, tamen audiri deberet,vt ait deciſio Rotæ 364.incip.*Cum iura*,& 201.incipien.*licet in cauſſa*,in nouis. Vt neque princeps ſupplere poſſit omiſſam citationem,*Felin in c.ex parte,2.de offi.delega.& in c.quæ in Eccleſiarum,nu.26.& ibi etiam Decius,nu.23.de conſti. Boer. deci.247.nu.7.Socin.conſil.120.vol.3.Deci. conſ.63.incip. viſo puncto.*

## De Contumacia. Cap. 3.

Lib.2.Decret.tit.14 Lib.2.Sex.tit 6.Lib.2. Clem.tit.4.

1 *Citatus venire debet ad Iudicem vocantem,aliter contumax. & ſeq.*
2 *Eremi actio quid apud Demoſthenem, κυρία item, & eremodicium quid.num.3 & 4.*
5 *Contumacia in quos dicatur fieri,duplex actoris & rei: vtraque vera & ficta, & quis contumax.nu.6.7.& 10.*
8 *Domicilium eligere debent vocati in curia,vbi vocantur.*
9 *Citationes duæ contumaciam faciunt contra garandum.*
11 *Citatio vna quando peremtoria eſt,& in quibus conſtituat contumaciam.& nu.25.*
12 *Teſtium receptioni datur vna citatio aduerſario tantum,vt compareat ſi velit.*
13 *Exſequendi ſententiam contra contumacem formula.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

14 *Citatio vnica in negotiis, quæ celeritatem deſiderant, peremtoria: & quæ illa negotia.*
15 *Contumaciæ purgationes vel excuſationes, & quãdo per nuntium mitti debeant. nu. 16. & 17.*
18 *Contumacia actoris & rei, diuerſa cenſura.*
19 *Contumacia rurſum quædam peremtoria, quædam dilatoria, & eius iudicandæ praxis.*
20 *Contumax contemnandus ſemper ad expenſas reſtituendas.*
21 *Citatio* a trois briefs iours, *annotatio bonorum, & miſſio in poſſeſſionem bonorum contumaciam, quando & quomodo fiat.*
22 *Contumaces & abſentes rei criminum, quomodo in Gallia damnentur.*
23 *Contumace reo comparente, deficiente accuſatore, quid ſtatuendum.*
24 *Contumacis iudicium in cauſſis ciuilibus, ex conſtitutione Franciſc. I.*
26 *Contumaciæ effectus.*
27 *Dilatio peremtoria alicui ex litigantibus data.*
28 *Contumaciæ reſtitutio, & prorogatio.*
29 *Uſucapio ſeu præſcriptio interrumpitur citatione libellata, & contumacia.*
30 *Contumacia mitius quomodo puniatur iure pontificio.*
31 *Contumax delictum committit in iudicem, & litigantem: & ita vtrique pœnam debet & quam.*
32 *Citatus quando non teneatur comparere coram iudice citante.*
33 *Beneficiaria in cauſſa, contumacia non adimit ſuperiori nouam inquiſitionem.*

1 SIue † a non ſuo iudice quis ſit vocatus, aut citetur perperam,
nihilominus tamen tenetur ad iudicem qui vocat venire, *l. 2. ſi
quis cautio. P. l. ſi quis ex aliena. de iudic. P. l. non videtur, eo.* quia ſine
præiudicio iuris fit citatio. Neque ex eo quod vocatus venit, ideo
in iudicem conſenſiſſe videtur, *d. l. non videtur.* Poteſtq; exceptiones vel fori, vel actionis, vel priuilegii allegare coram eodem iudice tuto, *d. l. ſi quis ex alien. l. neque §. quid ergo, de fideic. liber. P.* habiturus etiam temerariæ vocationis ſumtus contra aduerſarium,
2 *l. eum quem temere, de iud. P. cum ſimil.* ¶ † Quod ſi non venerit,
neque qui defenderet, miſerit, nulla legitima excuſatione iuuatus, contumax fit, & pœna contumaciæ afficitur. Vlpianus in enarratione orationis Demoſthenis contra Midiam, ad verba illa,
εἷλον ἐρήμην. Ἐρήμη, inquit, ὄνομα δίκης. ὃ γὰρ ἀπήντα, οὐκ ὂν κατὰ τῶν μὴ
ἐθελόντων ὑπακούει, ἀλλὰ φυγοδικούντων λέγεται, ἐκέλευε γὰρ ὁ νόμος τοὺς
ἐμπρόσθεσμον δίκην ἔχοντας εἶτα μὴ ἀπαντῶντας εἰς τὴν κυρίαν, ἐρήμην
ἁλίσκεσθαι. ἦν δὲ κατὰ τῶν τοιούτων ἐκ τῶν νόμων ὡρισμένον τίμημα χίλιαι
δραχμαί. id eſt, *Damnaui abſentem. Eremi, iudicii nomen eſt: neque
enim ſe ſiſtebat. In eos igitur hoc dicitur, qui parere nolunt ſed iudicium detrectant. Iubebat enim lex, eos quibus iudicii dicta erat dies, ſi
ad ſtatum diem præſto non eſſent, indicta cauſſa damnari. In eos au-*
3 *tem legibus mille drachmarũ pœna ſtatuta erat.* ¶ † Hæc Vlpianus,
vbi κυρίαν, quemadmodũ alibi ſæpe Demoſthenes pro ſtata die in
vocatione poſuit, vt dicere licet ἀπαντᾶν πρὸς τὴν κυρίαν & ἀπαντᾶν πρὸς τὴν δίκην, dicimus adeſſe iudicio die vadimonii, ita κυρία
4 ἡμέρα, eſt rata & fixa dies. ¶ † Et erat φυγοδικεῖν καὶ καταλιπεῖν τὴν
δίκην, deſerere vadimonium, cum non occurrebatur ad diem vadimonii. Cuius pœna etiam ignominia erat, vt docet Demoſthenes eadem oratione κατὰ Μειδίου. Et ſolebant Iudices διδόναι τὴν
ἐρήμην dare, deſertionem vocabant, in praxi defectum, ſeu *defaut*,
hoc eſt de abſente ſecundum præſentem pronuntiabant. Eremodicium poteſt vno verbo dici, Latinis deſertio inſtantiæ ἐρημοδίκιον etiam dixit Iuſtinianus, *in l. properandum. 11. §. cum autem
eremodicium, eo. C.* In ſuperiores quis dicitur contumax: in infe-
5 riores vel pares, faſtidioſus, 1. *Rhetor. ad Herennium.* ¶ † Cõtumax
a ſuperbia ob quam quis tumidus & inflatus eſt, dicitur, qui alii
6 cedere vel obedire contemnit. ¶ † Ideo contumax definietur is,
qui cum obtemperare iudici poſſet, obedire contemnit, *ex l. contumacia, §. pœnam, de re iudi. P. c. certum eſt 11. q. 3. l. 1. § ſi quis municipalis, & § ſi quis in iudicio, ſi quis caut. P.* Non enim omnis qui
non obedit, contumax eſt: tamen omnis contumax inobediens
eſt. Etenim qui non obedit, quia non poteſt, cõtumax non eſt: veluti ſi impoſſibilitate facti, vel iuris obtemperare non poſſit præcepto, *vt in ſpecie c. Odoardus, de ſolut. c. olim vobis, 15. de reſtit. ſpo-*
7 *lia. c. cum tu, de vſur. l. ſi accuſatoribus, de accuſatio. C.* ¶ † Contumacia duplex eſt, actoris, & ea quæ rei, *l. & poſt edictum, 73. de iudi.
de vtraq; in l. properandum, C. eo. tit.* Rurſum vtraq; poteſt eſſe, aut
vera aut ficta, quod idem eſt ac ſi dicamus, veram eſſe bene probatam: & fictam, præſumtam. Vera eſt illa, quæ naſcitur ex vocatione vel inſinuatione facta perſonæ contumaci, quando ad faciẽ
denuntiatum eſt, *de iſtis Bart. in l. final. de in int. reſtit. P. Alexan. in
dict. l. properandum, §. ſin autem reus.* Sed & verus contumax dicetur, qui tribus edictis vel vno edicto peremtorio pro omnibus,
vocatus & interpellatus non facit ſui copiam, *in l. contumacia, de
re iudic. c. de illicita. 24. q. 3. c. quoniam, §. porro, vt lit. non conteſta. nõ
proc. ad teſt. examinat.* Contumax præſumtus dicitur, quando citatio facta eſt ad domum, & non ad faciem. Nam propter dubiũ,
num ad eius notitiam citatio peruenerit, ſtatim non dicitur verus
contumax, ſed talis præſumitur, *Bart. in d. l. fi. col. pen. de in integ. reſtit. P. Cardina. in cle. 1. in 9. q. de dol. & contuma.* Et proinde in praxi, ad veram contumaciam conſtituendam, diſtinctio adhibetur
eius de quo componitur contumacia, conſiderata re & formula
citationis, & qualitate perſonarum quarum dicitur contumacia,
antequam perueniatur ad finem & effectus contumaciæ, & rationes pœnarum locum habeant. Quare contumacia conſideratur, non tantum ratione vocationis & contemtus veniendi: ſed
etiam, ſi quis dum venerit non obediat mandatis Iudicis: vel qui
ſine mandato, cum iudicio abire non debet, iniuſſus abiuit, *c. certum, 11. q. 3.* Et qui non reſtituit quod iubetur, niſi manu armata
cogatur, contumax eſt, *l. qui reſtituere, de rei vind. P.* Qui reſpondere vel defendere non vult. ¶ † Statuit conſtitutio Franc. 1. arti. 8
23. omnes vocatos in ius debere ſe ſiſtere iudicio perſonaliter, vel
per procuratorem, die dicta per vocationem, & ibi eligere domicilium in prima aſſignatione ſeu vocatione: alioquin reiici ab
omnibus petitionibus vel exceptionibus, *hoc ſumtum ex Innocen.
in c. auditis, & c. conſtitutus, de procurat. Ioan. ab Imola ad l. qui ante
calendas, de ver. oblig. P. Barto. ad d. extrauag. ad reprimendum.*

¶ † Statuitur & art. 21. quod poſt duos defectus, ſeu vocatio 9
nes geminatas auctoris vocati ad euictionem luẽdam, vocant garandum, ſi legitime factæ fuerint, & poſtquam liquebit de illis,
ſententiam contra auctorem illum ferri poſſe, quod & in ſtylo
Parlamenti reſponſum eſt, in §. item ſi garandus, de dilationibus
quæ dantur pro garando. Facta tantum prius probatione per petentem ſuæ intentionis & iuris, *l. hâc autem, §. 1. quib. ex cauſſ. in
poſſeſſ. eat. P.* Dignus eſt enim qui, quia non defendit potius propter contumaciam & abſentiam, quam propter malam cauſſam,
condemnetur, *c. fi. de emt. & vend. & ibi glo. in ver. contumaciter, de
emt. & vend. l. ſi ideo. de euictio. P.* ¶ † Item art. 24. ſtatuit, in omni- 10
bus cauſſis ciuilibus vel criminalibus, *arg. l. abſentem, de pœn. P. l. 2.
§. final. de cuſtod. reo. P.* in quibus conſuetum olim erat vti quatuor
defectibus ſeu edictis, ſufficere duos defectus commiſſos, legitimo modo obtentos per vocationem factam in faciem aut ad domum: demto quod Iudicibus permittitur tertiam vocationem
decernere ex officio, ſi vocationes ſeu adiornamenta non fuerint
facta in perſona ſeu in faciem, & ſi negotium id exigere videatur.
Ceterum antequam ad damnationem deficientis Iudex procedat, conſtare ei debet de contumacia, nempe de vocatione, & lapſu diei quo ſiſti reum oportuerat: item de lapſu termini qui vltra
diem ſtatam in citatione ſolet indulgeri ex gratia a iudicibus, ſecundum ſtylum cuiuſque curiæ, quem vocant *Surſeance*, & ita
declaratoria ſententia contumaciæ exigitur, *l. eius qui delatorem,
& ibi Bartol. de iure fiſ. P. c. cum ſecundum, & ibi gl. de hæret. in Sex.
plene Bald. in l. iubemus, § œconomus, de ſacroſ. eccleſ.* Et ſuper contumacia iudicanda, iterum vocatur abſens. Tamen ſi in prima
vocatione, vocatus dixerit ſe non compariturum, & relatione apparitoris teſtificata appareat, non iterum vocari, ſed contumacia
iudicari debet, *Guid. Pap. ſing. 947 facit l. ceſſante, C. quom. & quã.
iud.* Neque diffugium quærendum eſt, quod vel ira percitus, vel
temere reſponderit ſe non pariturum. Siquidem neque iocandũ,
neque iraſcendum eſt, cum agitur de publica auctoritate conſeruanda, *c. vt debitus honor, de appellat.* Neque quiſquam dixiſſe exiſtimandus eſt, quod prius mente non agitauerit, *l. Labeo, §. idem de
ſupell. lega.* Verum hic etiam tutius aget Iudex, ſi extra iudicium
vocatione facta, in qua dies ſiſtendi dicta eſt, exſpectet diem, num
compareat vocatus, & pœnitentia doceat calore iracundiæ id dixiſſe. Ea autem præterita, nec comparente, tanquam rata exſiſtẽte
voluntate, *l. 3. de diuor. P.* poterit condemnare ſine alia vocatione
vt contumacem, *Panor. in c. cum parati, de appella.* Quod ſi quis in
iudicio dixerit ſe non compariturum, poteſt ſtatim condemnari
vt contumax, *idem in d. c. cum parati.* Idipſum ſtatuendum contra
latitantem malitioſe & doloſe, vnaque citatio peremtoria ſufficiet. Item ſi is qui vocatus comparuit, & iuſſus in iudicio nolit reſpondere, tanquam cõtumax ſine alia vocatione damnari poteſt,
*notatur in l. ceſſante, quomod. & quan. iud. C.* ſtatuto defectu. ¶ † Sũt 11
& plu-

& plures caſus,in quibus ſola vnicaque vocatio ſufficit: & ſi quis
in tempore eius vocationis non compareat,vel deficiat, habetur
pro contumace,& ſtatuitur legitime in negotio,perinde ac ſi vo-
catus adeſſet.Quorum aliquos videbis apud Felinum,in ca. ex li-
teris,de conſtit.veluti in cauſſis per ſe manifeſtis , probandis &
protritis,*c.cum ſit,de re iud.*aut ſi agatur de verificatione ſeu agni-
tione idiochiri ſeu chirographi, quam dicunt *Verification de ce-
dule.*Si vocatus & citatus in perſona non compareat,ſtatuitur de-
fectus vel contumacia,& in defectum eius idiochiron pro adue-
rato habetur : vt ex eo tempore habeat obligationem hypothe-
cariam bonorum deficientis,ex conſtit.Franc.1.ann.1539.art.91.
& 92.Siquidem exceptio omnis fori, & incompetentiæ Iudicis,
vocato agnoſcendi chirographi cauſſa denegatur,propter neceſ-
ſitatem:quod res ſit tempore peritura,*Alex.& alii,in l.2.de iur.o-
mni.iud.P.Anchar.conſ.74.incip.ex Theoricis facit text.in l.1.de eo
quod cer.lo.l.vni,C.vbi conuen.qui cer.lo.dari promi.*Et ita per hanc
conſtitutionem abrogatur l.heres abſens,in §.proinde,de iud.P.
Neque tamen quod coram non ſuo Iudice fiet, habet vim cõde-
mnationis:ſed tantum probationis,& nõ exſecutionis.Quare re-
cepta praxis eſt,vt dum agnitum vel denegatũ fuerit chirographũ
coram Iudice delegato vel commiſſario dato hac de re,rei ciatur
conteſtatio vel definitio ſolutionis ſi petatur ad iudicium, cõ le-
12 mnationis obtinẽdæ cauſſa.¶ † Sufficit etiam vnica vocatio, eaq;
exiſtimatur peremtoria,in actibus qui exigunt vocationem poſt
inſtitutam litem:vt pro recipiendis teſtibus,*Panor.in c.in nomine
domini,de teſti.*vt liquet ex cõſtitutione Caroli,*Sur le ſtille du Par-
lement*,art.32.Pro excluſione eorum quæ fieri mandantur præce-
pto præcedente vel ſtyli præſcripto,dictum *Intimation de forcluſi-
on*,pro alimentis decernendis,& aliis,de quibus legito Imbertũ,
13 li.1.Inſti.forenſ.¶ † Datur & edictum ſeu vocatio ſæpe in quibuſ-
dam caſibus cum comminatione,vt quamuis vocatus non adſit,
nihilominus etiam eo abſente procedetur: veluti in exſecutione
ſententiæ,ne moratoriæ dilationes eludant iudicatum. Et proin-
de exſecutor qui vocauit aduerſarium,vt adeſſet certis loco, die,
& hora,facta ſummaria inquiſitione cum quibuſdam teſtibus,de
die,hora,& loco in quo exſequitur,& vbi adeſſe iuſſit, iubetque
acciri per apparitorem coram ſe vocatum,qui ſi non appareat vel
procurator eius nomine,ſtatuit defectum ſeu declarat contuma-
cem,& exſequitur:niſi velit edictum circunducere,vel horam vel
diẽ diffindere,ita ſtatuens,*Defaut,ſauf s'il compare dans telle heure
14 ou iour.*¶ † Sic primæ citationi peremtorium edictũ adiungitur,
in his quæ celeritatem deſiderant,ſi de collatione vel verificatio-
ne inſtrumentorum agatur,de præbendis medicamentis, vel ali-
mentis vulnerato. Si quis intercedat bonorum captioni per in-
ſtrumentum & obligationem authenticam factæ, & ratione eius
interceſſionis ſeu oppoſitionis,reiectus ad iudicem non venerit.
Si de inuentario ab herede conficiendo,per præconem admoni-
ti publice,qui ſua intereſſe putant non aduenerint.Item ſi addito
peremtorio quis conuenitur, vt rationem reddat eorum quæ in
cauſſam iudicati publice receperit,vel ſub manu regia,vel vt in fi-
dem publicam aduerſarium recipi videat,& ſecuritatem ei iuret,
dicũt *pour eſtre mis en ſa ſauuegarde, & aſſeurance formelle, du Roy,
& de Iuſtice.*id eſt,vt iuret ei,neque per ſe,neque per alium vllam
ei offenſionem in perſona boniſq; illatũ iri: vel,vt adſit rebus ſuis
captis ob iudicatum vendendis & diſtrahendis per licitatorem,
vt dicunt *pour faire les inquants.* Idem in interdicto vtrobi , quod
vocant Galli *adueu, vide l.1.vtro.P.*Vide hac de re exceptionem,ſi
agatur de coniuncta quæſtione proprietatis,apud Imbertum : &
ibi etiam de aliis actionibus , quæ duobus tantum edictis reum
contumacem peragi deſiderant.Sed & de his ſtylus & cõſuetudo
15 curiarum,te facilius admonebit.¶ † Contumacia proprie vt dixi-
mus,ab eo committitur, qui contemnit cum poſſet obedire,&
ideo,qui pro contumace habitus eſt,poteſt purgare vel excuſare
cõtumaciæ præſumtionem.Exempli cauſſa,*Si quis*,inquit Vlpia-
nus,*l.2.§ ſi quis municipalis,& §.ſeq. ſi quis cautio. P. & l. contuma-
cia,& l. quæſitum , de re iudi.P.municipalis muneris cauſſa,ſine dolo
malo ſuo impeditus,in iudicio ſecundum promiſſionem ſuam non ſte-
tit,æquiſſimum eſt ei tribui exceptionem.Simili modo , & ſi ad teſti-
monium deſideratus,ad iudicium occurrere non potuerit,ei ſubueni-
endum eſt.*Item ſi valetudine,ſi tempeſtate,vique fluminis prohi-
bitus: & ita dies erit diffuſus, niſi ipſe ſe in impedimentum & ne-
ceſſitatem coniecerit,*d.l.2.§.ſi quis tamen l.ſi fideiuſſor , §.1. qui ſa-
tiſd.cog.P.cum ſimilib* Item ſi a Magiſtratu detentus fuerit, ſe non
affectãte,*d.l.2.§ ſimili modo,& l.4.in princ.& §.1 ſi quis cautio.* non
autem ſi priuatus eum detinuerit, quia ipſe condemnatus habet
actionem in eum qui detinuit in id quod eius intereſt,*d.l.2.§.fi.&
l.3 eod.*Excuſatur etiam a contumacia coram tribunali inferioris
Iudicis,ſi ad maius fuerit vocatus,*l.contra pupillum,§.fi.de re iudic.*
Si Reip.cauſſa abſit,*l.1.l.itẽ ii,4.l.milites,7.cũ 10.leg.ſeq.ex quib.cau.
maio.in integ.reſtit.P.*ſi Principi adhæreat: ſed ea ratione illuſtres
tantum perſonæ,& quæ codicillos regios oſtendunt officii excu-
ſantur,quos vocant *Lettres d'ſtat.* De quibus fidem iudici per nũ-
tium facere debent.Alia ſunt impedimenta, in l. 2. de in ius voc.
P.alia in l.vim facit,quod vi aut clam.P alia in l.ſi per alũ, ne quis
eum qui in ius voc.eſt vi exi.& in c.ex parte,de app ellat. Si locus
inquam,aditu tutus non ſit,vt ideo appellare permittatur.¶ † Hic 16
obſeruandum tamen eſt,caſus quoſdam eſſe fortuitos,de quibus
ſuperuenientibus in impedimento poteſt impeditus iudicẽ cer-
tiorare per nuntium:alios de quibus nõ poteſt.Quare in priori-
bus contumax eſt,niſi nuntium mittat qui eum excuſet, cur non
venerit:potiſſimum,ſi ad vadimonium teneatur, vocant tunc nun-
tium *Exoimne*, qui præſtito iureiurando coram iudice referat
teſtificationem , ſcripto in loco impedimenti comprehenſam,
de impedimento,veluti,quod in ægritudinem , quæ neq; vectio-
nem,neq; pedeſtre iter patitur,inciderit,vt medicorum teſtimo-
nio liquere debet:quod captus ab alio magiſtratu ſit, quod muli-
er ſit prægnans,& obſtetricum teſtimonio,itineri tuto non poſſit
ſe committere,&c.Nam ſi nuntius vel procurator ita inſtructus
non mittatur excuſandi gratia,non vitat vocatus contumaciam,
*l.ſed & ſi,26.§.1.ex quib.cau.maio.P.* Vbi autem impedimentum
ſubito acciderit,de quo Iudex ſtatim moneri non potuit, excuſa-
tio quam citius fieri poterit propoſita,releuabit,vel contumaciã
ſtatutam reſcindet.¶ † Porro in nuntiis,vſus habet & ſtylus,nun- 17
tios illos cõſtitui in cauſſis vadimonii,dum perſonaliter compa-
rere debet vocatus:alioquin non admittetur in ciuilibus negoti-
is,in quibus procurator ſufficere poteſt Nulla enim excuſatio vel
rara eius qui potuit nuntium mittere , & non miſerit mandatum
alicui procuratori qui ſuo nomine liti intereſſet. Sed & in cauſſis
vadimonii,ex ſtylo Prætoriani conſilii, art. 20. qui & ſeruatur in
aliis curiis,cognitores ſeu procuratores litigantium , qui debent
perſonaliter adeſſe iudicio, non audiuntur proponentes excuſa-
tiones abſentiæ,vt dicunt,*allegans Exoimne*, niſi nuntius certus
adſit cum ſpeciali mandato de excuſatione: & nihilominus dabi-
tur eremodicium ſeu defectus,ſine præiudicio excuſationis pro-
bandæ,vt dicunt,*defaut ſauf l'Exoimne.*Et in hac probanda, ſicuti
in iuſtis cẽſendis excuſationibus,arbitrium erit iudicum,qui per-
penſis mature periſtaſibus de illis ſtatuere libere poſſunt,boni vi-
ri iudicio:¶ † Perpendent tamen & cuius ſit contumacia,actoris, 18
vel rei:nam maior putatur actoris,quam rei.Actor quippe potuit
omnia negotia ex conſilio componere,antequam reum vocaret:
reus vero,quadam neceſſitate comparendi ſibi impoſita, ita faci-
le ſæpe non poteſt ſibi conſulere,vt pro voluntate quæ vult exſe-
quatur.*Cum actor*, vt ait Paulus,*in l.pure mihi decem,5.§.fin. de do.
mal.& met.excep.P.ſimile reſpond.Caius in l.qui in alterius,43.§.fi.
de reg.iur.P.Idem in l.ſi quãdo,& auth.quod fieri,C.de dilatio,l.1.§.
fi.de anna excep.P quidem in ſua poteſtate habeat quando vtatur ſuo
iure:is autem cum quo agitur,non habeat poteſtatem quando conue-
niatur.*Vocant contumaciam ſeu eremodicium ex parte actoris
pragmatici *Conge:* Et contumaciam ex parte rei , *defaut*, in curiis
ſupremis.In aliis omnes contumacias vocãt,*defauts.* Sed & in cu-
riis ſupremis tertium genus adiicitur,vocatum *Conge defaut* , ſi-
mul,vt in appellationibus vtrinque deuolutis & deſertis:puta , ſi
ego appellaui curiam a ſententia Iudicis,& te vocaui die dicta ad
mentem ſiſtendi.Si ego non comparuero per me vel per procu-
ratorem,tu qui ad diem dictam te ſiſtis,impetras in Parlamento
contra me contumaciam & congedium,id eſt,licentiam abeũdi,
& eremodicium litis:ſi vero ego adfuerim iudicio,tu deficias die
ſtata,contumaciam tuam dices defectũ.Quod ſi tu anticipatione
appellationis,breuiori termino me appellãtem ad curiam ſupre-
mam præuenias & voces,quia tunc ex noua vocatione vterq; no-
ſtrum ratione appellationis & anticipationis eſt actor & reus vo-
catus & vocans,ſi alter noſtrum in neutro termino adfuerit, im-
petratur eremodicium cum titulo defectus & congedii.¶ † Et in 19
omnibus rurſum conſideranda formula ſtyli cuiuſq; curiæ , num
contumacia ſit peremtoria,an dilatoria,dicunt *aſſauoir s'il impor-
te gain de cauſe,ou non.*Nam quæ peremtoria eſt,edictum aliud nõ
exigit ſeu vocationem,niſi contumax pro accipiendo iudicio cõ-
tumaciæ vocetur:cum in aliis alia edicta citatoria ſtatuuntur ,an-
tequam contumacia iudicetur. Vbi autem contumacia declarata
eſt,ſic ſtatuit Iudex,*defaut & ſur l'vtilite d'iceluy, la partie baillera*

*ſa demande dans tel temps*,&c. Si quidem contumacia declarata ſit,
iudicium agitur & negotium diſcutitur,perinde ac ſi preſens eſſet
contumax,*l.& tertium*,70.*de iud.P.l.contumacia.de re iud.P.l.2.*
§.*fin.vbi in rem actio.C.*Non enim eo ipſo quod cõtumax eſt, pro
iudicato habetur vel pro conuicto,niſi declaratio hæc procedat.
Vt de hoc diſputat Ioan.Conſtantinus,in commentar.ad conſtit.
regias,de litibus breui decidendis,Franc.1.anni *1539*.in art.*24*. In
quo derogatum eſt antiquo ſtylo curiæ,de quo loquitur, §. item
aduerte,tit.de defectu ſuper actione perſonali. Quamuis in tota
fere Italia contrarium receptum ſit conſuetudine, quæ vult con-
tumacem haberi pro conuicto & confeſſo. Quæ adhuc intelligẽ-
da eſſet,vt diſcuſſio cauſſæ etiam eo abſente fiat,& ex officio Iu-
dicis ſi innocens reperiatur abſoluatur,*d.l.& poſt edictum*,73. in
ſumtus tamen contumaciæ condemnatus & damno litis,*l.contu-
macia,de re iud.P.l.properandum.§ cum autem,& §.vel coercetur,*
20 *de iud.C.* ¶ † Siquidem & iure,cõtumax qui comparuerit poſtea,
non debet audiri,quin prius expenſas ob cõtumaciam factas ad-
uerſario reſtituat. Et eſt conſtitutio Caroli 9. ann. 1572. menſe
Ianuarii *Sur le faict de ſa Iuſtice & punition des rebellions faictes cõ-
tre les officiers d'icelle*.art.10. Vt omnes contumaces, tales declarati
Senatuſconſulto, vel ſententia Iudicis Senatus placito firmata,
non admittantur ad purgandam contumaciam. Et ſi in carcerem
redierint,par eſt in ſtatu legitimo eos eſſe,ſi edicta reſcindi poſtu-
lent,non inde ſoluãtur, quin prius mulctam adiudicatam aduer-
ſario vel litiganti ciuiliter,conſignauerint: & niſi vltra ſummam
ſufficiẽtem & ex arbitrio Iudicis æſtimandam,pro iudicio in po-
ſterum peragendo,depoſuerint penes actuarium, *ſunt text. in l.
ſancimus,& ibi Bald.C.de iudic.auth.ei qui iurat,de bon.aucto.iudi.*
21 *poſſ.C.* † Alia formula Franc.*1.De l'abbreuiation des proces*,arti. 25.
vt in cauſſa criminali,in qua vadimonium ſtatutum eſt,ſeu adior-
namentum perſonale,ſi non compareat reus, ſtatuatur defectus
& prehenſio:quod ſi iterum non compareat,hoc ſecundo edicto
ſtatuatur, vt quia prehendi, vel inueniri non poteſt reus contu-
max,citabitur voce præconis ad tres breues dies,cum annotatio-
ne bonorum,& iniectione manus Regiæ in ea, donec paruerit
vocationi:ita annotatio bonorum fit,vbi reus nõ poteſt damna-
ri,quia de cauſſa adhuc non conſtitit:& crimen non admittit ad-
huc condemnationem. Et poſt annotationem,*de his omn.in l.1.&
ibi Fab.& l.21.de exhi.reis,C.l.1. & 2.eo.P.de inuentario etiã bonorũ
reorum.in l.ſi quis.de bon.proſcript.C.vi de his omnibus, & de forma
peremtorii & reſtitutione contumacis in cauſſa criminali,Imbertum,
li.3.Inſtit.foren.& Guid.Pap.deciſ.*328.id eſt, deſcriptionem bo-
norum,vocatur triplici edicto quod dicit conſtitutio, *ad tres bre-
ues dies*,qui quomodo in citatione obſeruentur,docetur a Guido.
Pap.deciſio.429. Et in iſtis annotationibus, contumaciæ reorum
ciuilium & criminalium,ſimiles videntur. Nam ſicut in ciuilibus,
vt contumax compareat, aduerſarius qui vocauit vel qui litem
proſequitur,impetrat miſſionem in poſſeſſionem bonorum vel
quaſi,contumacis,vt tædio affectus contumax, ſaltem vt ſua bo-
na redimat,compareat & deſinat latitare,*l.2.& l.Fulcinius*,7.§.1.
*quib.ex cau.in poſſ.eat.P.l.is cui,vt in poſſe.legat.P.c.tuæ fraternita-
tis*.3.*vt lit.non cont.non proce.ad teſt.rec.lib.2.Decret.ti.6.c.cum Ec-
cleſia,in 1.de cau.prop.* & ſi poſt annum nõ compareat, dominium
etiam habeat,*c.quoniam frequenter*.5.§.*fi.vt lit.non conteſt*. Quod ſi
bona non habeat,vel de alia controuerſia quæſtio ſit,quam de rei
petitione,ſententia excommunicationis fertur in foro ſpirituali
in contumacem,*d.c.tuæ fraternitatis,& c.quoniam frequenter*, §.*fi.*
Ita in criminalibus,bona rei annotantur,vt eodem tędio affectus
compareat,intra annum veniens bona annotata repeturus, nõ
poſt,*l.1.de requir.reis P.* & numerato anno a die, quo nota fuit ei
annotatio,vel eſſe potuit,& ex quo poſſeſſa bona fuerunt a fiſco,
*l.anni ſpatium,eo.l.hodie,de diuerſ.& tempo.præſcrip.P.* Non tamen
loquor de Italię moribus,qui diuerſi ſunt in Marchia, Tuſcia, In-
ſubria ſeu Lombardia,nam quælibet prouincia ſuum ius habet,
22 quod ſequi debent,qui in ea iud.cant. ¶ † In Gallia mos alius,vbi
abſentes rei criminum,maxime qui nunquam auditi vel conuicti
fuerunt,non damnãtur vltimo ſupplicio,ſed tantum relegatione
vel eius loco bãnitione & bonorum confiſcatione,iuxta l.abſen-
tem,de pœn.P. Et l.abſentem,de accuſa.C.& l.2.de requiren.reis.
P. Et iure Pontificio damnari poſſunt depoſitione, in c. veritatis,
23 8.de dol.& contum. ¶ † Accidit aliquando etiam,quod is qui edi-
ctum peremtorium impetrauit,abſit die cognitionis:is vero, ad-
uerſus quem impetratum eſt,adſit. Et tunc circumducendum eſt
edictum peremtorium,neque de cauſſa cognoſcetur, neq; ſecũ-
dum præſentem pronuntiabitur:& inſtantia tantum edicti perit,
ex integro tamen litigari poterit,*l.& poſt edictũ*,73.*de iud.* ¶ † Dat 24
etiam legem & vtilitatem,ſeu effectum contumacię in cauſſis ci-
uilibus,Franc.1.conſtit.præd.ann.1539.art.26 His verbis. *En tou-
tes actions ciuiles ou y aura deux defauts,ſera par vertu du ſecond, le
defaillant desboute des defenſes,& par meſme moyen permis au demã-
deur de verifier ſa demande: & apres l'enqueſte faicte, ſera la partie
adiournee pour voir produire lettres & tiltres,& bailler contredicts ſi
bon luy ſemble, & prendre appoinctement en droict: ſans ce qu'il ſoit
neceſſaire que le defaillant ſoit adiourne pour bailler vn ny.* Et arti.27.
addit,quod non debeat ſententia dari contra reos cauſſæ ciuilis
contumaces,niſi probauerint intentionem ſuam actores. Quare
poſt edictum & contumaciam declaratam in ciuilibus, citatur i-
terum contumax ad ſententiam audiendam,& ad impugnandas
productiones,ſingulari diuerſaq; ratione quam in criminalibus
obſeruetur,vbi peremtorie vocato reo,proceditur ad ſentẽtiam
contumaciæ ſine noua citatione,quia in ciuilibus effectus contu-
maciæ eſt,vt litis damno coerceatur declaratus contumax, vt di-
cunt in praxi,*que le defaut importe gain de cauſſe*,& non auditur in
poſterum in ſuis exceptionibus,vel defenſionibus,*l.contumacia,
de re iud.P.* Et abſentia rei,præſentia Dei ſuppletur, *in l.properan-
dum,§.cum autem,C.de iud.* ¶ † Verum vocatio vnica in ciuilibus 25
omnibus negotiis vt dixi,non eſt peremtoria,exceptis paucis:ve-
luti ad ſententiam diffinitiuam audiendam,*c.4 de do.& contu.ca.
quoniam*,§.1.*vt lit.non conteſt.&c.*ad mittendum actorem in poſ-
ſeſſionem ex primo decreto,*l.conſentaneum,C.quo.& quan.iud.l.
properandum,§.ſi quid de iudic.C.l.cum proponas,iuncta auth.ſeq.de
bon.auct.iud.poſſ.* ſi non probet termino conſtituto,iuxta c.finem
litibus,de dol.& contum.& vt reus poſſit abſolui ab inſtantia ſeu
obſeruatione iudicii,& in quibuſdam aliis paulo antea recenſitis,
& in his quæ media cauſſæ reſpiciunt lite inſtituta,vel productio-
nes teſtium,*l.ſi quando,C.de teſtib.§ pen.eo.in auth.c.3.eo.apud Gre.*
& ſimilibus. At in cauſſis criminalibus edictum peremtoriũ pro-
ponitur cum comminatione,vt niſi ſe ſiſtat iudicio reus ſtata die,
in abſentem ſententiam pronuntiandam iri. Et hic eſt vnus ex ef-
fectibus contumaciæ. ¶ † Alius ſecundus effectus quoque ex ſu- 26
perioribus colligitur, vt propter contumaciam ſiſtendi ad diem
vadimonii,prehenſio poſſit decerni,& in carcerem duci contu-
max,*probat & d.l.conſentaneũ,& ibi gl.& Bart.§.ſi vero etiam qui-
dam.de exhi.reis in auth.* Tertio,ne poſſit contumax verus appel-
lare ex prædict.conſtitutione Franc.1.art.28.& 29.*l.poſt edictum,
§ fi.de iud.P.l.ex conſenſu,§ fi.& ibi gl.& Bart.de appel.P.l.1.C.quor.
appell.non recip.l.properandum,§.ſin autem reus,C.de iud. vide Boer.
dec.*206.*nu.*9. Saltem niſi refuſis impenſis contumaciæ & mulcta
40.ſolidorum. Vt idem ſtatuit conſtit.an.1528.arti.6. Et denege-
tur etiam ei audientia,priuſquam contumaciam purgauerit,*l.ſed
& ſi per prætore,§.ſed & ſi dum.iuncta gl.ex quib.cau.maio.in integ.
reſtit.P.* Quarto,contumax in non reſpondendo,*c.ſi poſt præſtitũ,
de confeſſ.in Sex.l.de ætate §.qui tamen,de interro.actio.P.* vel in re-
cuſatione iuramenti,*l.manifeſte,& ibi interp.de iureiur.* Quinto,
vt poſſit excommunicari,*c.tuæ fraternitatis,& c.quoniam frequẽ-
ter,§.fi.vt lit.non cont.non proc.&c.gl.in c.1.de do.& contu in 6.gl.in
c.conſtitutus,de ſenten.excom*,vt diximus,præcedente tamen cita-
tione,*c.cum contumacia de hæret.in Sex.* Sexto,habeatur pręſente
in ſui præiudicium,*auth.qua in prouincia,in fi.C.vbi de crim.agi o-
porteat.* Septimo,ſi comparuerit reus vocatus, actor autem con-
tumax eſt,euaneſcit vocatio:& abſoluitur reus, & actor conde-
mnatur profumtibus,*l.& poſt edictum,§ 1.de iud.P.* quos tenetur
refundere antequam iterum agat. Atque proceditur contra acto-
rem contumacẽ,ex forma l.qui ſemel,C.quomod.& quand.iud.
Verum ſi reſtituatur contra contumaciam actor,& vicerit,ſoluet
tantum expenſas contumaciæ,vel illas compenſabit pro quanti-
tate expenſarum litis,in quas reus damnatur, vt plene vide in de-
ciſion.capell.Tholoſ.408. Addit c.1.de dol.& contuma.in Sex.vt
actor qui ad terminum non venit ad quem vocauit aduerſarium,
condemnetur reo pro expenſis:nec iterum poſſit vocare, priuſ-
quam cauerit de ſiſtendo. ¶ † Octauo,generalis etiam hic conſti- 27
tuitur regula,vt omnis terminus a iudice alteri ex litigãtibus cõ-
ſtitutus ad aliquid agendum,peremtorius eſt,*Ioan.Andr.in addi.
ad Spec.tit.de teſtib.§.nunc videndum,Feli.in c.cauſſam quæ nu.3.de
reſcri.facit l.2.C.quomod.& quan.iud.*& contumax dicitur *Forclos*,
id eſt,cui forum agendi cauſſa in eo clauditur.

¶ † De reſtitutione contumacis,& qualiter intra annũ ſe poſ- 28
ſit purgare,vide Boerium deciſ.63.& 64.& 316.nu.3.

¶ † Nono, quemadmodum citatio libellata, quæ continet 29
cauſſam vocationis certæ,prodeſt ad interrumpendam præſcri-
ptionem,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptionem,*l.ſicut,de præſc 30. vel 40. ann. & ibi Faber.* ſic etiam &
contumacia in non reſpondendo vocationi, quia facit vocatio-
nem ratam,& vocatum omnibus exceptionibus excluſum.

30 ¶ † Decimo,iure Pontificio etiam, *cap.1.de dol. & contu.apud
Gregor.* ſi cauſſa propter dilationem & contumaciam non peri-
clitatur,patienter contumax admittitur etiam poſt moram anni,
data cautione qua ſe adſtringere debet ſtandi iudicio, omiſſo ri-
gore mulctæ, & in locum miſſionis in poſſeſſionem rei ſeruandæ
cauſſa contra contumacem, fit rei contentioſæ ſequeſtratio : id-
que interdum mitius agendo, condemnato pro contumacia fu-
giente in expenſis, *cap. 2. de dol. & cont.* a tempore citationis ad-
miſſæ,*ca.cum dilecti.eod.* Nam & contra contumacem etiam iure
Pontificio fit miſſio ex primo decreto rei contentioſæ ſeruandæ
cauſſa,& ſi non comparuerit intra annum, nullo defendente, fit
miſſio in plenam poſſeſſioné ex iuris rigore,*c.contingit,c.cauſſam
quæ,eod & c.1.2.3. & 4.de eo qui mitti.in poſſ.cau.rei ſer.*

31 ¶ † Addendum inſuper,hos effectus & alios plures ex contu-
macia oriri,veluti ex delicto contumacis. Videtur enim offende-
re Iudicem & Rempub. qui iudicis dicto non paret, aut parere
contemnit,vt mulcta dignus ſit,*l.vni.§.fi.ſi quis ius dic.non obtemp.
P.l.2.ſi quis in ius voc. non ierit. P.* Et vltra pœnam,qua quanti ad-
uerſarii litigantis intereſt,cum ſumtibus caſtigatur,*l.ſancimus,C.
de iudic.* Et intereſt Reipublicæ ne eluſoria ſint edicta vel iuſſa
Iudicum,*l.ſeruo inuito,65.§.cum prætor,ad Sena.Treb.l.fi.ſi quis in
ius voc.non ier. P.* Quare & omnibus Magiſtratibus ſecundum
ius poteſtatis ſuæ,conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam defendere
pœnali iudicio,*d.l.vni.ſi qui.cautio.l.qui reſtituere,de rei vind.*

32 ¶ † Videbis tamen diſtinctionem gloſſ.in l.2.Si quis in ius vo-
ca.non ier.P.in ver.*Sciatur*, quando vocatus non teneatur ire in
ius:ſi aperte & manifeſte non ſit ex vocantis iuriſdictione, *in l.ſi.
de iuriſ.om.iud.P.*contra,ſi ſit dubium,*ex l.ſi quis ex aliena. 22.§.
ſed & ſi dubitetur,de iudic.P.*

33 ¶ † Singulare tamen, quod in cauſſa beneficiaria, ſententia
contra contumacem lata,quod pertinet ad ſuperiorem,non trá-
ſit in rem iudicatam, quominus is de iuribus partium poſſit in-
quirere,*c.cum olim,7.de dol. & contuma.*vt in aliis quibuſdam.Sed
de his videbis in lib.50.inferius,cap.1.

## De Satiſdatione iudiciali. Cap. 4.

Lib.4.Inſtit.tit.11.Lib.2.P.tit.8.Lib.2.C.tit.57.

1 *Satiſdationes iudiciales,quæ & quot exigantur.& ſeq.nu.2.*
3 *Sponſio ante litem certæ pecuniæ inter litigantes quare.*
4 *Diamartyria in iudicio quid.*
5 *Conſignationes litis cauſſa quales factæ.*
6 *Procurator actoris quando caueat de rato, & quando audiatur ſine procuratione.*
7 *Cautiones quales præſtantur a reo in iudicio.*
8 *Iudicio ſiſti cautio quæ formulæ,quando committatur,in quantum perire condemnato in ciuilibus, & criminalibus, & quomodo in Gallia ſeruetur & nu.10.11.12.13. & 15.*
9 *Fideiuſſor locuples quis dicatur in cauſſa iudicii.*
14 *Iudicatum ſolui cautio,quid contineat, & quando committitur, & in quantum.*
16 *Saluagardia perſonæ quando detur, & quomodo in ea caueatur.*

1 POſtquam † in iudicium venerint,vel adducti fuerint actores,
& rei antequam aleam iudicii rei principalis ſubeant, proſpici
oportet & litigantibus & iudiciis,ne illuſoria ſit opera.Et proin-
de cautiones exiguntur & ſatiſdationes.Satiſdatio,eſt cautio ſeu
promiſſio accedentibus pignoribus vel fideiuſſoribus, *l. ſanci-
mus,C.de ver.ſig.l.1.qui ſatiſd.cog.P.l.ſi mandato Titii,§.fi.mand.P.
l.ergo,§.adiici,de fideic.liber.P.c.fin.de pign. & ibi glo.l.promiſſor,21.
§.fin.de conſt.pec.* Bifariam conſideranda, vel ex parte rei, vel ex
parte actoris:& vtraque habet membra quædam, quæ ſimul ex-
pediuntur,cum quæſtione de quo,& a quo dentur, & cum pro-
pria formula.

2 ¶ † Sic omnia complectitur finitione Caius.*Satiſdare*,inquit,
*l.2.qui ſatiſd.cog.P.dicimur aduerſario noſtro, cui pro eo quod a no
bis petiit ita cauemus,vt eum hoc nomine ſecurum faciamus datis fi-
deiuſſoribus.*Ex parte actoris ſatiſdatur de lite perſequenda *§.quia
vero compertum,in Nouell.conſt.53. & §.ceterum,cum ſequent.cōſt.
112.*de lite intra duos menſes conteſtanda,*§.1.& ſeq.Nouell. conſt.
56.auth.libellum, de libel. oblat.* de ſumtibus & omni damno litis
reſtituendis,ſi iniuſte litem mouiſſe appareat,*§.ne igitur, Nouell.
96.& d.§.ceterum,Nouell.112.d.auth.libellum,& auth generaliter,
C.de epiſc.& cler.§.ſuſcepto,de exhib.reis,in auth.Nouell.53.* ¶ † Ité 3
accedebat ſponſio de certa pecunia dáda,ſi nō obtinuiſſet, *§.quia
vero compertum,ea.Nouell.53.*Similis erat obſeruatio apud Athe-
nienſes,ſponſionis,vnde & poſtea ſponſionis actio,qua qui expe-
riri vellet pecuniam deponebat,intercedente ſtipulatione pecu-
niæ,quam perdebat qui ſponſione vinceretur. Atque coram Iu-
dice aut recuperatoribus diſceptabatur.Deponebant autem liti-
gantes apud acta decimam partem æſtimationis litis, in cauſſis
priuatis,in publicis vero,quintam & inde genus actionis,παρακα-
ταβολὴ dictum,*ex Iulio Poll.Bud.in comment.ad ling.Græc.* Memi-
nit Suidas, in verb. διαμαρτυρία. ¶ † Diamartyriam modum fuiſſe 4
quendam præſcriptionis,& prius quam res in iudicium deferre-
tur,licitum fuiſſe cuique teſtificari dari oportere actionem, aut
non dari:differreque a præſcriptione: quod hæc teſtificatio non
modo a reis,ſed etiam ab accuſatoribus fiat. Ac principio produ-
cebat aliquem actor,qui teſtaretur dandam eſſe actionem,ſicque
de hoc primum iudicium fiebat contra ipſum teſtem,non aduer-
ſus eum cuius intererat.Quod ſi actor teſtem nō produxerat, reo
producere licebat,qui teſtaretur actionem non eſſe dandam : at-
que rurſum,cum teſte res erat,ac falſi teſtimonii actio aduerſus
διαμαρτυρήσαντας,ſecundum Budæū in forenſibus, διαμαρτυρία eſt
conteſtatio,quæ fit circa litis ingreſſum ne cōteſtetur. ¶ † Statuit 5
aliquando C.Caligula,vt pro litibus ac iudiciis vbicunque con-
ceptis,quadrageſima ſummæ de qua litigabatur,daretur:nec ſine
pœna erat,ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium conuince-
retur,*§.ſin autem per procurato.de ſatiſd.apud Iuſt.l.1. C.eod.* Et ali-
quando in Gallia ſimile inuentum vexauit ſubditos conſignatio-
num litium,atque antequam litem cōteſtari poſſent apud Quæ-
ſtores regios cōſignationum,deponi certam ſummam oportue-
rat per actorem,qui ſi viciſſet a reo repetebat depoſitum. Regis
autem erat periculo victi depoſitum,quod tamé ius merito ſub-
latum eſt.Cauet etiā procurator actoris de rato,ſi apud acta præ-
ſente aduerſario factus non ſit:nam ſi eo præſente fiat non cauet,
aut ſi dubium non ſit de mandato,*§.ſed hodie,eod.apud Iuſt.c.1.de
dol.& contu.ap.Greg.*Cauet tamen de defendendo, & iudicatum
ſolui. ¶ † Vſus forenſis hodie in Gallia apud inferiora regiaq; tri- 6
bunalia,inualuit:vt quamuis nemo cognitorum ſeu aduocatorū
pro alio poſſit ſine mandato agere, tamen tanquam procurator
quis admittatur ſine mandato,ea lege,vt iubeatur mandatum aut
ratihabitionem domini oſtendere ſuo periculo:idque receptum
ad vitandas abſentium contumacias,nam alioquin ex eo die quo
procurator ille comparuit, edictum in dominum ſeu abſentem
decerneretur. ¶ † Reus porro ſatiſdat iure, iudicio ſiſti vſque ad 7
terminum litis,*§.ſi vero aliquis,de ſatiſd.*etſi procuratorem dede-
rit,quod veniet tempore recitandæ ſententiæ,*l.hæ ita erant, & §.
ſed hodie,& §.ſi vero aliquis,eod.*& iudicatum ſolui,*§.1.& §.ſin autē
per procurat.eod.*procurator vero cauet de rato, *§.hæc ita erant. &
§.ſi vero reus,eo.*& iudicatum ſolui,*l.1.& 3.de cuſt.reo.P.l.cum cle-
ricus,§.1.de epiſc. & cler. C.* iudicio ſiſti cautio prima ordine indi-
ciorum eſſe videtur,† vbi enim quis vocatus eſt, vel venire debet 8
ſi vadimonio ſit vocatus,& ſi venerit,& velit abeſſe,debet ſiſten-
di cum opus fuerit iudicio ſatiſdare & fideiuſſores dare:vel iurare
& ſuiipſius cautionibus promittere,ſeu per iuratoriam cautioné
ſe venturum & repræſentaturum polliceri. Idemque ſi prehen-
ſus velit carceribus mitti,*l.ſi vero,§.1.qui ſatiſd.cog.P.*Exſtat & rub.
*In ius vocati vt eant,aut ſatis vel cautum dent,lib.2.P.tit.6.*Iniuria
enim fieret ei qui negotiis quibuſdā occupatus neceſſariis, offert
fideiuſſorem de ſiſtendo locupletem,& idoneum & approbatū,
ſi non accipiatur,*l.2.in princ.& §.1.l.ſi fideiuſſor,8.eod.P.* ¶ † Fide- 9
iuſſor locuples dicitur in iudicio ſiſtendi cauſſa , non tantum fa-
cultatibus,ſed etiam conueniendi facilitate,*l.arbitro,9. & l.ſi ab
arbitro,10.eod.* talis autem dicetur qui ex arbitrio litigantium &
iudicis approbatus erit,*d.l.ſi ab arbitro.* conſideratis perſonarum
agentium & defendentium qualitate & negotiis, de quibus agi-
tur.Nam & qui ſua voluntate accepit fideiuſſores,contentus eſſe
debet:niſi eis magna aut inſignis calamitas poſt fideiuſſioné acci-
diſſet,quia tunc ex integro cauſſa cognita ſatiſdandum eſſet, *l.2.§.
Prætor ait,qui ſatis.cog.P.l.1.2.3.in ius voc.vt eant.P.*Ratione pro-
ximitatis agentium, minus locupletes facultatibus exigebantur
fideiuſſores etiam,*l.inter omnes,12.qui ſatiſd.cog.P.* ¶ † Habebatur 10
& ratio rerum petitarum,*l.ſciendum,eſt 15.eod.* & facultatum in-
terpellatorum,*l.de die ponenda,8.qui ſatiſd.cog. P.* Formulæ con-
ſtitutę de ſiſtendo,quæ ex conuentione interdum litigantiū con-
ſtituebātur vel ab ſtipulatore,adhibito moderamine iudicis *No-
uel.52.de exhib.reis,& 112.de litig.§.ad excludendas,l.pen.de dign.li.*

*12.C.cum ſimil.ibi no.Harmeno.lib.1.Promp.tit.2.* Sed & interdum
iurabant quidam ſine fideiuſſoribus,ſe ſtaturos, vel ob dignitatẽ
quam gerebant,*d.l.de die ponenda,§.iubetur*, *& l.1. de cuſto.reo.P.*
vel ob neceſſitatem quia fideiuſſores inuenire non poterant,*l.eũ
pro quo,17.de in ius voc.P.*Sed neque is qui paratus eſt ſtatim do-
cere de re de qua agitur,onerandus eſt ſatiſdationis onere:qui di-
cat hodie conſtat,hodie agamus,*l.ſi eum iudicio ſiſti,10. & l.ſi quis
quenquam,11.ſi quis cautio.P.l.1.2.5.& 6.ſi ex noxa.cauſſ.aga. lib.2.*
11 *P.tit.9* ¶ † Committitur hęc ſtipulatio & cautio,ſi in iudicio non
ſiſtatur,vel res vel perſona,pro qua fideiuſſio eſt interpoſita: ceſ-
ſantibus excuſationibus iuſti impedimenti, de quibus dictum eſt
in citatione & contumacia,ſecundum ea quæ tractantur in titu.*ſi
quis cautio.iudicib.ſiſt.cauſ.fact.non obtemp.lib.2.P.ti.11.*Et non ſo-
lum committitur,ſi nõ ſiſtatur vel exhibeatur is,qui ſiſti promiſ-
ſus eſt,*l fin.in ius voc.vt eant.P.*ſed etiam ſi ſiſtatur quidem,ſed nõ
in eadem cauſſa in qua fuit ante,*l.3.ſi quis in ius voc.non ier.P.l.2.§.
fin.qui ſatiſd.cog.P.l.diem proferre,in fin.de rec.arb.l.quoties quis,in
princ.de verb.oblig.P.*vel ſi plures ſiſtere quis promiſerit, & tamẽ
omnes non ſiſtat,*l.qui autem,§.illud tenendum.ſi quis cautio.P.*
12 ¶ † Tenetur autem ad pœnam, ſi qua adiecta eſt ſtipulationi
fideiuſſionis:ſin minus,quanti intereſt actione incerti,ęſtimatio-
ne relata ad tempus illud quo ſiſti debuit, niſi euaneſcat cautio
vel fideiuſſio:vt ſi quis eum qui ſiſti debeat,defendat:vel ſi tranſa-
ctum de lite ſit,*l.neque impuberes,22.de in ius voc.P.l.2.ſi quis caut.
P.*vel pro eo fideiuſſum,qui in iudicio eſſe non poteſt,vt quia ſer-
uus,*l.ſi ſeruus in iudicio,9.eod.*vel pro eo,qui deſiit poſſe conueni-
13 ri,*l.ſi.eo.*¶ † At in quantum teneatur fideiuſſor, qui in criminali-
bus reum ſe ſiſtere promiſit,tractauimus alibi,lib.24.Syntagm.c.
14 3.nu.16.& c.4.n.13.¶ † Quod ad cautionem iudicatũ ſolui per-
tinet,nemo ambigit,tres clauſulas ſub illa ſtipulatione contineri:
de re iudicata ſoluenda,de re defendenda:& de dolo malo,*in l.iu-
dicatum ſolui,6.iudica.ſol.P.l.ſtipulatio,§.habet,de ope.no.nuntiat.*
quando alieno nomine quis agit vel defendit,*§.1.de ſatiſd. P.l.qui
proprio,§.qui proprium,de procur.P.l.exigendi.C.eo.*non ſi proprio
nomine,*§.ſed hodie, de ſatiſd.* Et huius ſtipulationis tantum dies
quidem cedit poſt rem iudicatam,ex clauſula iudicatum ſolui:ſed
exactio eius quod peti poteſt,in tempus reo principali ad ſoluen-
dum indultum,differtur,*l.1.iudi.ſol.P.*contra fideiuſſores,*l.ſi.§.fin.
de vſu.rei iudic.* ⸿Ex aliis tamen clauſulis ante committitur, vt ſi
non defendatur reus boni viri arbitratu,vel ſi male lis agatur, *l.ſi
reus,12.iud.ſol.P.*niſi ex aliqua cauſſa legitima defendẽda lis nõ ſit,
non debeat,vel non poſſit,*l.hæc ſtipulatio,15. & l. iudicatum ſolui.
16.& l.vir bonus,18. iudic.ſol. P.* vel iudicium pereat,*l. 2. l. ſi ſer-
uus,11.& l.cũ apud,20.eo.*Et ex clauſula doli mali,ſi non ſit defenſa
in ſolidum,*l.ex clauſula,17.eo.*vel ſi quid dolo malo cõmiſſum ſit,
*l.nouiſſima clauſula,19.eod.* Habet autem iudicatum ſolui ſtipula-
tio,expeditam quantitatem:in tantum enim cõmittitur,in quan-
15 tum iudex pronuntiauerit,*l.iudicatum ſolui.eod.*¶ † Hodie porro
in Gallia,iudicatum ſolui,aut iudicium peragi,non ſatiſdatur, *Io.
Fab.ad §.2 de ſatiſd. Io.Gallus in quæſtio.deciſ.per areſta q.49.* Atta-
men,inquit,Imbertus lib.1.Inſtitu.forenſ.Si actor ſit peregrinus
& procul a regni finibus larẽ foueat,vel aduena: reus poſtulabit,
vt procuratorem,qui forum in quo agitur frequẽtet,ad cœptam
litem dare compellatur,ac in eiuſdem fori torritorio domiciliũ
conſtituat,in quo requiratur quoties opus erit. Exſtat & areſtum
Parlamenti Tholoſani,in 6.par.ſtyli Parlamẽti areſto 16.propter
contumaciam & ſuſpectos de fuga ita latum. Communi iure au-
tem nõ egemus iis cautionibus in hoc regno, cum procuratores
conſtituantur cum omnibus clauſulis de rato habendo, & de in-
demni reddendo procuratore,qua obligatione mandati edita pe-
nes actuarium,ſatis dominus dicitur fideiubere pro procuratore,
ſeu cognitore,quem ſibi deligit litis inſtitorem & adminiſtrum,
*Bart.in rubric.iudicat.ſolui. P.* Quo fit etiam,vt non concipiatur
ſententia vel condemnatio in perſona procuratoris apud nos,ſed
domini ſeu clientis,*Io.Gallus in 5 part.ſtyli parlam.quaſt.44.& 49.*
Iuſtis tamen de cauſſis,in aduenis aut dum agitur de beneficiorũ
eccleſiaſticorum lite,Henricus 2.ſanciuit, litigantes deuolutari-
os,debere ſibi domicilium conſtituere in ea prouincia,in qua ſa-
cerdotia ſita ſunt,& quorum lis incidit:teneri item eos cauere de
iudicato ſoluendo,ſecundum formam iuris communis:aut aliter
inanem eſſe illorum actionem.
16 ¶ † Cautiones & ſatiſdationes initio litis agitantur,& petuntur
ante cõteſtationem rei principalis.Aliæ autem & iudiciales ſunt,
quæ in quacunque litis parte peti poſſunt. Qualis eſt quã dicunt
*ſaluagardiæ* cautionem,per quam dat fideiuſſores aduerſarius pe-
tenti coram iudice & auctoritate iudicis, de nõ oſtendẽdo ipſum
nec in perſona,nec in rebus,per ſe,vel interpoſitam perſonã:quę
ſtatuitur,quando conſtat iudici de minis, & quod is qui minatus
eſt,eius generis eſt,qui minas ſolitus ſit facile exſequi : vt hæc &
alia tractata inuenies apud Bart.in l.illicitas,§.ne potentiores, de
officio præſid. & apud Felinum, in rubr. de treuga & pace. Item
alia quę in moratoria dilatione ſoluendi conceſſa a Principe,prę-
ſtari debet aduerſario,de ſoluendo,ab eo qui impetrauit,*l. uni-
uerſam,de pre.Imper.offer.*pro hac interdum datur in iure Pontifi-
cio iuratoria cautio,de ſoluendo,*vt in c.Odoardus,de ſolutio.*

## De Libelli Oblatione. Cap. 5.

Lib.2.Decret.tit.3.

1 *Iudex idoneus vel non idoneus pluribus modis dici poteſt ,idque editio libelli docet.*
2 *Petitioni iudiciali conformis debet eſſe ſententia: petitio iudicialis quid:duplex ſine ſcriptura,& cum libello. Item cõuentionalis,& accuſationis.Et nu.3.& 5.*
4 *Petitio iudicialis quando in ſcriptis redigi debet.*
6 *Aduocatus qua methodo debeat petere in iudicio,an voce,vel libello. Et nu.7.*
8 *de Libelli clauſulis. Et num libellus petitionis poſſit poſt editionem mutari. Et nu.9.*
10 *Libelli iudicialis ſeu petitionis ſcriptæ finis.*
11 *Plus petens quam debeatur,quomodo plectatur.*
12 *Libellorum petitionis rationes.*

QVando † ad iudicium per actores & reos ventum eſt,de foro 1
competenti diſputandum videtur,ſed quia Iudex competẽs
vel incompetens & nõ idoneus,dici poteſt ex pluribus capitibus,
tam ex parte rei controuerſę & eius actionis,quam ex parte ipſius
perſonæ litigantium,& negotii,ideo petitio edenda prius erit ab
actore,vel libellus intentionis porrigendus:de quo nunc agendũ
eſt,remiſſis exceptionibus & præſcriptionibus fori in librum ſe-
quentem.¶ † Intentionem ſuam & actionem actor in iudicio tã- 2
quam ſpeciem & imaginem litis futuræ,*l.edita actio, C.de edend.*
explicat per petitionem,cui conformis debet eſſe ſententia, *l. vt
fundus,com.diuid.c.licet Heli,de ſimonia,ca.qualiter, in fi.de accuſ.*
nam ſecundum eam, vel in fauorem petentis,vel contra actorem
lis agitur,*l.1.de plus petit.* ⸿Petitio itaque erit actionis & iuris cõ-
petentis iudici & aduerſario,in iudicio facta declaratio. ¶ † Et ex 3
modo edendi hanc petitionem,duplex erit eius ſpecies:vna, quæ
ſine ſcriptis , voce actoris vel eius aduocati explicatur: alia quæ
ſcripto fit,id eſt,libello.Non egemus ſcriptura in leuioribus ne-
gotiis,& quæ ſummarie debent explicari,*c.ſi quis cum clerico,11.q.
1.notat gl.in c.1.de lib.oblat.cle ſape,& ibi gl. de verbo.ſig. vide deciſ.
Capel.287.& Spec.in tit.de lib.concep.§.10.verſ.9.& 21.& ibi Ioan.
Andr.vbi colliges caſus,in quibus non requiritur libellus.* ſed actua-
rius ſeu amanuenſis Iudicis, coram quo actor petitionem expo-
nit,excipit intentionem,& rei defenſionem, quo caſu omiſſio e-
ditionis libelli,non eſt neceſſarii ordinis iudicialis, & omitti po-
teſt:quia perinde valet petitio illa iudicialiter facta & conteſtata,
ac libellus editus.Quare aduocatus qui in iudicio exponit,dempta
ſcriptura,eadem debet voce complecti,quæ literis edendo libel-
lum perſcriberet,& eodem fere ordine cauſſam perorare ac de-
ſcribere.Et ſupplet mentem iuris deſcriptio petitionis quæ exci-
pitur ab amanuẽſe,nam de actione & petitione per eam ſcriptu-
ram cui fides adhibetur,conſtat, *cap. quoniam contra. de probatio.*
¶ † Si tamen reus poſtulet ſibi edi ſcripto actoris petitionem, & 4
mereatur negotium,recte fit,& ſolet ita fieri, ſi ſtatuatur editio,
& fiat. Suntque interdum ſubſcriptiones & formulæ neceſſariæ
in petitione:& tunc,cum ne varietur,tum etiam vt formulæ ne-
ceſſariæ obſeruentur,edi debet & offerri libellus,quem vocant in
ciuilibus,*la demande par eſcript.*Et ſine ea editione, nõ valet pro-
ceſſus iudicialis,*auth.offeratur,de lit.conteſt.C.c fi.§.offeratur 3.q.
3.c.1.& ibi Panor.& alii,de lib.oblat.l.1.de eden.P.*Idipſum ſeruatur
in accuſatione inſtituenda,in qua libellus accuſationis ſcriptus &
ſubſcriptus edi primum debet,iuxta l.libellorum, de accuſation.
P.c.legem eccleſiaſticarum, 2.quæſtio.1.
¶ † Ita ex duplici materia ciuili & criminali,conſtituitur & du- 5
plex libelli ſpecies,conuentionalis,& accuſationis *gloſſ.in ca.1.de
libel.oblat.* Conuentionalis cõtinet libellum ſeu ſupplicationem,
quæ aliquando porrigitur Iudici, antequam citatio vel vocatio
decernatur,*Felin.in d.c.1.* Sunt enim cauſſæ,in quibus nonniſi ve-
nia petita vocatio fieri poterat,& libellus ideo porrigebatur,*li-*

*bertus*

*bertus aduerſus patronum,15. de in ius voc. P. l. 1. & 2. quan. princ.*
*obl. & c. C. iuncta l. 4. de in ius voca. P. cum ſimilib.* Cõtinetur & hac
appellatione citationis mandatum, quo narratur compendioſe
ſcriptis intentio ſeu cauſſa ob quam quis vocetur, *vt in l. 1. de eden.*
*P. & in citatione antea diximus.* Eſt & libellus qui datur in cauſſis
appellationis, qui dicitur libellus dimiſſorius vel apoſtoli nomi-
ne, de quo in tit. De libell. dimiſſor. in P. li. 49. tit. 6. Et nos de hoc,
refutatoriis, & aliis libellis appellationum, agemus Deo fauente,
libro 50. huius Syntagmat. cap. 2. Poſtremo libellus conuentio-
nalis, dicitur petitio iudicialis ſcripto latius quam citatione com-
prehenſa, ob quam conuentio & vocatio in iudicium facta fuit,
quæ porrigitur ab actore ſeu petente.

6 ¶ † Formula ſeruata tantum ea, qua poſſit liquido & ſine du-
bio conſtare iudici & parti, de eo quod in petitionem & iudici-
um deducitur. Et vt ita probe cõponatur, quatuor partibus prin-
cipalibus conſtare debet. Prima, quæ eſt epigraphe & inſcriptio,
continebit nomen petentis, & in quo cauſſæ genere petat, & a
quo, & coram quo Iudice, *l. 2. de for. & impet. ſubl.* In ſecunda par-
te debet aperte & ſine inuolutione exponere negotium de quo
agitur, & hypotheſin nitidam ſuæ petitionis, *c. 2. de lib. oblat.* omiſ-
ſis antiquorum ſcrupuloſis formulis. Sufficit enim omiſſo etiam
proprio actionis nomine, dummodo conſtet quid petatur, *c. dile-*
*cti, de iud.* & petitio certa ſit, *l. Domitius. de teſt. P. l. precibus, Cod. de*
*impub.* nomine, quantitate, qualitate, vel demonſtratione, *l. certũ,*
*de reb. cred. P. l. vbi autem non tantum apparet de verb. oblig. P.* Si res
immobilis petatur, adiici debent nomen, fines, vicini, proximiq;
limites, menſura, iugera, & aliæ qualitates neceſſariæ ad rei mobi-
lis vel immobilis certitudinem, iuxta l. ſi in rem, 6. in prima, de rei
vind. P. l. ſi forma cenſuali, de cenſib. P. c. cum olim, de verborum
ſignificatione, *vide gl. in c. 2. in verb. ſignificantibus, de libel. oblat.* In
aliis oportet eſſe relationem factam ad certum, vt ad teſtamen-
tum certæ perſonę, aut ad inſtrumentum certi anni & diei & per-
ſonarum *l. ait Prætor, 5. § 1. de re iud. P.* Tertio debet petitor adde-
re cauſſas ſuæ petitionis: difficile enim eſt Iudicem & aduerſari-
um aurem accommodare petitioni, quæ cauſſam petendi nõ ha-
bet ex qua obligatio oriatur, *l. iuriſgentium, §. ſed cum nulla, de pact.*
*in P.* neque tenetur reſpondere aduerſarius, *c. fin. de lib. oblat.* Po-
7 ſtrema † & præcipua libelli pars eſt concluſio, in qua Iudex maxi-
me iudicium adhibet, & per quam finis propoſitæ actionis ediſ-
ſeritur, & quod petitur fieri, explicatur: vt parum aut nihil ſolici-
tus ſit Iudex de ſuperfluis vel parergis narratis in libello, ſi illi de
concluſione conſtet, ad quam verba dubia præcedentia, vt ad la-
pidem Lydium probari debent & reduci. Neque vitium ſcriptu-
ræ inſpiciendum, ſi de mente conſtet, *Zaſius, conſ. 14. & in conſtit.*
*Latina Philip. 4. reg. Galliar.* Hic dubium viſum eſt, num alterna-
tiue quis poſſit concludere: ſed tamen placet in his, quæ in ele-
ctione ſunt ſolius actoris, ſtatam, non dubiam aut alternatiuam
eſſe debere concluſionem: contra, ſi in arbitrio ſit aduerſarii in-
terdum: niſi & electio quæ eſt actoris, in alternatiuæ conceptio-
ne, ſit in fauorem conuenti & defendentis, *ca. ex literis, de pign. &*
*ibi. Panor. late de alternatiuo libello Io. Andre. ad c. conſtitutus, de in*
*int. reſtit. & admitti docet per illum text. & per c. cum dilecti, de emt.*
*vide & gl. fi. in c. cum dilectus. 8. de relig. domib.*

8 ¶ † Subiiciuntur & concluſioni communiter hæ clauſulæ, *au-*
*trement conclud pertinemment, & proteſte des deſpens.* Prior clauſu-
la, *omni meliori iuri concludo & pertinenter*, efficit, vt in caſu du-
bio, libellus debeat aut poſſit interpretari in fauorem ipſius, atq;
habeatur pro concepto, quo aptius concipi poſſit, *Alex. conſ. 121.*
*col. pen. 1. vol. Iaſ. in § omnium. col. 20. & 21. de actio. deciſ. capel. Tho-*
*loſ. 32. & 232.* Altera vero clauſula, *proteſtor de expenſis*, interpellat
Iudicem, vt expenſas adiudicet, ni velit litem ſuam facere ſecun-
dum Bartolum, *in l. properandum, § ſin autem alterutra, C. de iudic.*
Poſt formam autem petitionis libello comprehenſam, datur de-
fendendi reo licentia.

9 ¶ † Sed tunc, num cognito libello & edito poſſit immutari li-
bellus quæritur. Et breuiter diſtinguendum eſt, in non ſubſtan-
tialibus mutari & emendari poſſe, veluti in congruitate ſermo-
nis, *Io. Faber in §. ſi minus, de actio.* In ſubſtantialibus vero minime
poſt litem conteſtatam, neque eius ſcripta, ex quibus vel confeſ-
ſio prodeſt aduerſario, vel ius ei quæſitum eſt: ante quamuis lice-
at, *d. §. ſi minus, Bal. & Cyn. in l. edita, C. de eden.* Late de hoc gloſſ. in
ver. *Emendari*, & ibi interp. in l. edita actio, C. de eden. Poteſt ta-
men declarari poſt cõteſtationem, *l. in delictis. § ſi de tract. de nox.*
*act. P.* quia qui declarat, nihil de nouo adiicit, *l. heredes palam, § fin.*
*de teſtib. P.* neque prodeſt quicquam clauſula quæ apponi ſolet a
quibuſdam, *ſaluo iure addendi vel mutandi, &c. aut emendandi,*
quia per illam clauſulam, non licet etiam poſt conteſtationem
addere vel mutare, *interp. in d. l. edita, glo. in ca. inter dilectos, de fide*
*inſtru.* Et proinde in curiis non auditur quiſpiam allegans noua,
in cauſſa appellationis: nec admittitur ad libellum vel articula-
tionem factorum nouorum iure communi. Et proinde neceſſa-
rium eſt impetrari a Cancellaria regiaque benignitate codicil-
los, quibus permittatur & admittatur impetrans, ad facta noua
proponenda & capitanda, ſeu, vt loquuntur, articulanda: imminẽ-
te tamen pœna mulctæ contra impetrantes & proponentes no-
ua, quæ ad litem non pertinent, ſecundum conſtitutio. Franciſ. 1.
anni 1539. de litibus ex breuiculo decidendis, art. 112.

¶ † Quocirca, quia libellus continet ſtatum & cardinem cauſ- 10
ſæ, circa quem lis conteſtatur & agitatur, ſecundum eum debet
fieri probatio intentionis præſcriptæ, & ille eſt finis præcipuus li-
belli: neve variare liceat, vtq; de lite veluti obſignatis tabulis con-
tendatur. Et qui in libello vnum deducit, & aliud probat, non ob-
tinet in lite, *l. habebat, de inſtit. act. Bart. in l. 1. eo. Boer. conſil. 25. nu.*
*21. & 22. in addi. Auferii, ad quæſt. 11. capel. Thol.*

¶ † Quamobrem in l. 1. C. de plus peti. permiſſum eſt, errorem 11
emendare & petitionem maioris ſummæ ante litem incoatam,
& actionem reſtringere: ſed poſtea, minime. Imo & nunc, non
pœnis quidem priuationis debiti, ſed damno ſumtuum plectitur,
& quanti intereſt conuenti, *c. 1. de plus petitio. libr. 2. decre. titu 11.* ſi
velit mutare actionem: quod permittitur ſumtibus reſtitutis, tẽ-
perata lege antiqua ciuili, qua plus petens quam deberetur re,
loco, tempore, aut cauſſa, priuabatur actione & debito, *§ ſi quis*
*agẽs, de act. d. l. 1 de plus pet. C. in Claudio. Capit.* Quod & ante quo-
dammodo emendare viſus eſt Claudius Cæſar, de quo ſic ſcribit
Suetonius, *Tranq. 14. Nec ſemper præſcriptam legum ſeueritatis duriti-*
*am lenitatemq; mulctarum, ex bono & æquo perinde vt afficerentur*
*moderatus eſt. Nam & iis qui apud priuatos iudices plus petendo for-*
*mula excidiſſent, reſtituit actiones.* ¶ † Rationes eſſe libellorũ ex 12
ſuperioribus colligi poſſunt, vt certæ ſint petitiones, & poſtea
ſententia certa ſit, *d. l. vt fundus, fam. erciſc. cum ſimilib. §. curare, de*
*act.* Item: ne liceat variare in præiudicium rei, & in iudiciorum
contemtum, poſt agitatam cum multis contentionibus cauſſam:
Sed & tertio, vt cognito libello poſſit apud ſe deliberare reus, nũ
vel ſatisfacere petitis, vel litigare velit, *l. 1. de eden. P.* Item quarto,
vt arguatur rei fugientis contumacia & mens, qui maluit litigare,
quam ſoluere, *l. nemo rem ſuam. in 1. §. 1. de verb. oblig.* de qua per
conteſtationem litis appareat. Nam forſan & aliquando, ante a-
ctionis editionem habet iuſtam cauſſam ignorandi, *tractatur per*
*gl. & tex. in l. vinum. de reb. cred. P.* Et ideo ante iudicium conteſta-
tum quando non eſt citatio libellata, nec edita actio libello, ex-
penſæ ſunt faciendæ ab ipſo actore: imo etiam expenſis eiuſdem
apographum libelli ſeu petitionis dari debet, *gl. in clem. 2. in verb.*
*oblatos, de appel.* quia ſine interpellatione non poteſt dici in mora
reus, *l. cum filius familias. §. fin. & l. ſi ex legati, de verb. oblig. l. mora*
*de vſura, P. l. illud, de peric. & com. rei. vend. P.*

## De Litis Conteſtatione. Cap. 6.

Lib. 3. C. tit. 9. Lib. 2. Decret. tit. 5. Lib. 2 Sex. tit. 3.

1 *Conteſtatio libelli quomodo fiat, & eius finitio. nu. 2.*
3 *Conteſtatio litis duplex, expreſſa, & tacita.*
4 *Litis conteſtatio per quæ fiat, & a quibus. nu. 6.*
5 *Exceptiones quæ ante litis conteſtationem tantum admittantur.*
7 *Conteſtationem ſequuntur articulationes, poſitiones, probationes, & dilationes.*
8 *Poſitionibus litigantium quomodo litigantes reſpondeant.*
9 *Reconuentiones quando tantum fiant, & mutuæ petitiones.*
10 *Conteſtationis finis, rationes, & effectus.*

Libello † porrecto aduerſario, coram Iudice conteſtatio libel- 1
li vel litis facienda eſt. Et ex hac parte proprie iudicium, quod
ex contentione partium naſcitur, vt ait Cicero pro Murena, vt
per hanc formam, † *Ager qui Sabinus, meus eſt, imo meus: tunc iu-* 2
*dicium. Conteſtari eſt*, inquit Sext. Pomp. Feſtus, *cum vterque reus*
*dicit teſtis eſtote. Conteſtari dicuntur litem duo vel plures aduerſarii,*
*quod ordinato iudicio vtraque pars dicere ſolet teſtes eſtote.* Et inde a
teſtibus, qui ad dictorum probationem adhibendi ſunt, conteſta-
tionem dictã apparet. Vel quod actor ſic ſibi ius eſſe teſtetur, reus 3
vero diffiteatur. Litis itaque conteſtatio, eſt aſſertio vel petitio

proponentis, cum reſponſione rei coram iudice, voce, vel in iudice ſcripto facta, colligitur ex l.1.C.de lit.conteſt.c.1.eo.ap. Greg.l. & quia, de iuriſd.omn.iud.P. In Gallia lis conteſtata dicitur, non tantum ſi petitio & reſponſio facta fuerit coram Iudice, ſed etiam ſi quippiam de illa interlocutus eſt Iudex, & ſi quando aliquid ſtatuit vt edant ſeu producant, aut ſi dicatur litem haberi pro conteſtata, dicunt tenu pour conteſte, Imber.lib.3.Inſtit.for c.9. hoc etiam vide æquum eſſe ap. Ludo.Rom. & alibi obſeruari conſil.164. Cardi. in cle.conſtitutionem, §.fi.in ſi de elect. Bar. & Bal.in l.nulla, & l.nihil, C.de precu. Panor.in c.inſinuante, de offi. delega. Feli.in c.olim, de accuſatio. vel ſi libellus oblatus ſit principi, l.1.quan.libel.prin.obla.
3 tit. & c. C. non alii, l.1.de off.præf præt. Orien.C. ¶ † Conteſtatio litis duplex, vna quæ fit expreſſe, per verbum nego, vel ſimile, l.2.de iura.cal.C l.rem non nouam, § patroni, de iud. C.l.eleganter, §.ſi quis poſt, de condict.indeb.P. altera quæ tacite, vel per inuolutionem alterius facti fit: vt per exceptionem pacti, arg.l.non vtique, de exhib. reis, C §.ſancimus, eo.in auth. vel quando Iudex haberi pro conte-
4 ſtato ſtatuit. ¶ † Fit autem vtraque, vel de iis quæ ingreſſum iudicii impediunt, vel de lite principali. Siquidem controuerſia quæ fit circa exceptiones peremtorias, conteſtatio quidem eſt, ſed nõ conteſtatio litis principalis, cuius iudiciũ a conteſtatione rei principalis incipit, nec ea cenſetur facta per exceptionem peremtoriam a reo oppoſitam, c.1. & 2.de lit.conteſt.in 6 ſicuti nec per ſolas poſitiones & reſponſiones non fit iure conteſtatio litis, c.vni.eod. ap.Greg.c.dudum, in 2.eo. Accedit quod vna & eadem res, duos diuerſos effectus nõ producit, c.maiorem, de baptiſ.c.deinde, 26.diſt. l.eum qui ædes, de vſucap.l.qui hominem, de ſolut.P. Conteſtatio autem litis principalis iudicium conſtituit: exceptio vero peremtoria prohibet. Et proinde, cõteſtatio exceptionis prior erit & præiudicialis, & alia a litis præcipua conteſtatione. Proponuntur exceptiones tamen & conteſtationes a reo, vt & replicationes ab
5 actore, leg.1. & 2.de excep.P.§.1.de replic.ap.Iuſti. ¶ † Ante litem, exceptiones fori declinatoriæ, ſeu fori præſcriptiones obiiciuntur: cum, conteſtatione in lite principali facta, non admittantur, l.ſi de excep.C. Idipſum de dilatoriis reſcriptum, l.ſi quis aduocatus, 12.C.eo. Nec poſt litem conteſtatam recuſare licet Iudicem, neq; petere alium addi, § ſed & illud, conſti.Nouell.53.auth. offeratur, de
6 libell.oblat.C. & §.1.93.Nouell.de exſecutor. ¶ † Conteſtationes fiunt ab actoribus ipſis & reis, & a perſonis procuratorum vel aduocatorum eorũdem, ſecundum formulam aſſertionis, negationis, exceptionis, replicationis, poſitionis & reſpõſionis. Et ſi quis neget vel dicat ſibi dubium videri, vel nonniſi cum aliqua conditione ſe debere, l.ſiquidem, C.de except.l.exceptionem, de probat. C.
7 ¶ † Poſt hanc conteſtationem, ad capitulandam ſeu articulandã petitionem & defenſionem, dantur a Iudice dilationes, habita ratione negotiorum, & conſuetudinis ſeu ſtyli cuiuſque curię. Non enim ſeruantur illæ dilationes decem vel viginti dierum, & ſimiles quæ legibus ciuilis iuris Romani præſcribuntur, in d.§. ſed &
8 illud, & auth.offeratur, & auth.libellum, C.de lit.cont. ¶ † Poſtulat & ius Pontificium, fieri poſitiones, hoc eſt, aſſertiones in articulis vtriuſque petitionis & defenſionis, de quibus ante probationem ſummarie & de plano iurabat aduerſarius, ſe credere vel non credere verum eſſe quod ibi poſuiſſet: vt in confeſſis releuaretur a moleſtia probandi qui propoſuit per aduerſarii confeſſionem, c.ſtatuimus de confeſ.in 6.l.eum qui, de iureiur.ca.2, de proba.ap.Greg. Ita ad illas poſitiones, tenetur aduerſarius reſpondere per verbũ credo, vel non credo, aliter teneretur iterum reſpondere, Bal.in l.fi n.9.de edict.diui. Adria.toll.Panor. & alii, in cap.1.de probat. Sed tunc demum tenetur hoc modo iuratus aduerſarius de aduerſarii poſitionibus reſpondere, quando ipſe actor prius iureiurando ſuas poſitiones veras eſſe affirmauerit, c.præſentia, de teſti.in 6. Et hæc formula Romæ, vide de hac poſitionis formula plene Octaui. Weſtrium, li.5.introduct.in aula Roma.actio.c.14. & alibi ſeruatur. Verum in Gallia conſtitutione regia ex vſu abiit, & articuli ſine illa aſſertione eduntur, & de illis ſine aſſertione vt fiat probatio ſtatuitur.

9 ¶ † Fiunt & in hac conteſtatione mutuæ petitiones, l.neq; ſcriptura, C.de compenſa. neque enim actor reconuentus a reo coram eodem iudice, reiicere contra ſe poteſt: quem contra eundem reum delegit & probauit, l.cum Papinianus, & auth & conſequẽter, de ſent. & interlo.om.iudi.C.c.1.de mut.petitio.§ fi.de exſecutio. Quare & a Iudice qui non admittit reconuentionem, appellari poteſt, l.1.§.fin.quæ ſenten.ſine appel.reſc. Quod intelligi par eſt, ſi reconuẽtio fiat ante litis conteſtationem: non ſi poſt. d.auth. & conſequenter, & gl.in c.1.de mutuis petit. Item ſi coram Iudice ordinario non etiam coram arbitro, qui limitatam ſibi conceſſam poteſtatẽ non poteſt egredi, l.de his, de recep.arbit.P. ¶ † Conteſtationis finis & 10 rationes ſunt, inuenire ſtatum cauſſę, de quo ſine errore poſſit lis iudicari, & vt ſciatur quid probatione dignum ſit, quidve reiiciẽdum: quod aliter fieri non poteſt, quam illis interrogationibus & reſponſionibus præcedentibus litigantium, quia cauſſarum merita, partium aſſertione panduntur, l.fin.ſi per vim vel alio mo.C. Neque ſecundo debent inauditi condemnari, l.de vnoquoque, de re iudi.P. Item tertio, pro confeſſo litigandum non eſt, ſed pro dubio, l.quidam exiſtimauerunt, 21.de reb.credi.P.l.1.C.de confe. Et de dubiis non poteſt iudicium fieri ſine probatione, illa vero nõ fit niſi lite conteſta, c.1. & to.tit.vt lit.non conte.non pro.ad teſt.examinat.libr.2.Decret.tit.1.c.1.de can.propri.c.cum dilectis, de purgat. can. paucis exceptis, l.fi.§.illud, de tem.appell.c.quoniam frequenter, § ſunt & alii, vt lit.non conteſt.cum ſimil. Sed & poſtremo, plura ſunt quæ ex litis conteſtatione ſequuntur, quæ ſi lis omittatur, nõ ſunt. Nam viam præcludit poſtea, vt dixi, dilatoriis exceptionibus nõ propoſitis, l.Pomponius, §.rati, de procur. interrumpit vſucapionem, l.more, C.de re vend.l.ſicut. & ibi Bald.de præſ.30. vel 40.ann. not.plene, in l.naturaliter de vſucap.P. quia conſtituit aduerſarium in mala fide, quod pertinet etiam ad fructus reſtituendos, d.l.more, & l.certum, de re vend.C. Bar.in l.litigator, de fruct. & lit.exp. conſtituit & in mora, maxime in his quę debentur officio iudicis, Alex.in conſil.48.col.fi.4.vol.l.cum poſtulaſſem, de dam.infec.P.l.vinum, de reb.cred. ſed & perpetuat actionem, l.ordinata, §.in principio, de libe.cau. Alex. & interp.in l ſi eum, §.qui iniuriarum, ſi quis cautio.P. Et alia plura efficit, quæ te docebit Speculator. tit. de litis conteſt.§.penult.& fin.

## De Iuramento calumniæ. Cap. 6.

Lib.2.C.tit.58. Lib.2.Decret.tit.7. Lib.2.Sex.tit.4.

1 Iuramentum de calumnia quid: duplex actoris, rei: pro quibus præſtetur, a quibus: formula iurandi: omitti & remitti an poſſit, & quando exigatur: finis, & rationes, nu.2.3.4.8.10.11. & 12.
5 Interrogationes in lite quando, & a quo fiant: & fieri expenſis interrogare volentis, nu.6.
7 Confeſſiones quales, in iudicio & quomodo probent.
9 Aduocati in Gallia quando iurant de calumnia.
12 Calumniæ accuſatio etiam competit finito iudicio.

CONteſtatione † facta & ſtatu cauſſæ compoſito procedendum eſt ad probationes, & ad indagandum ex vtraque parte veritatem, l.2.in prin. & §.ſed prædictum, de iureiu.propt.cal.dan.C. l.rem non nouam, §.patroni, de iudic.C. præcedit iuramentum de calumnia, quod dicitur & præſtatur a litigantibus, de omnibus bona fide agendis in lite, omni malitia & falſo reiectis. 1

¶ † Calumnia, pro omni petitione iniuſta aut pro accuſatione 2 falſa, & pro omni malitia hic accipitur, gloſſ.in clem.1.de ſenten. & re iudi.in non tab. Sicque apud Iuſtinianum generaliter ſcriptum, §1.in proœ.Inſtitut.vt per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat. Dicitur ideo & iuramentum malitiæ, capit.2.§ fina. de iur.cal.in 6. duplex accuſatoris in criminalibus, & in ciuilibus quod & iuramentum veritatis, c.1.§.fin.de iur.cal.in 6.

¶ † Præſtatur namque de cauſſis criminalibus & ciuilibus. 3 Olim tamen non iurabatur de calumnia in cauſſis ſpiritualibus, & decimis eccleſiaſticis, c.2.eod.apud Greg. cum tamen nouo iure Pontificio iuretur & de omnibus, c.1.§.fin.eod.in 6. in quibus probatio exigitur, l.1.Cod.de iureiur.propt.cal.dand.§.quia vero, & ſeq. Nouell.Iuſt.50.

¶ † Iuratur vero ab actore, reo, §.nam & actor, & §.ecce enim, 4 de pœ.teme.litig.l.2.in prin. & §.hoc etiam huic, de iur.propt.cal.dan. C.§.1.Nouell.conſt. & ab aduocatis vtriuſque patris, pro ſe, quod iniuſtam cauſſam non fouebunt, &c. & nominatim in cauſſa qualibet de calumnia, d.l.rem non nouam, 12.§.patroni, C.de iudic.§.vtriuſque etiam, de pœn.teme.litig. iurant & procuratores, auth principales, C.de iureiu.propt.cal.dan.cap.2.§.procuratores, eod.in 6. Sed perſonalis hæc calumnia cum ſit, ſacramentum quoque perſonale eſt: ideo iuſſit Carolus 9. conſtitutione edita Aureliæ in comitiis, art.58. in omnibus perſonalibus actionibus, debere litigãtes ſeipſos iudicio ſiſtere in principio cauſſæ, iuramenti eius cauſſa. Sed vereor, & ita video in abuſu, ne hoc ſeruetur. Omnis ſexus, d.auth.principales. de calumnia iurare tenetur, cuiuſcunq; ſit dignitatis, l.2.§.ſin autem, C.de iur.propt.cal.dan.C. imo & clericus, in caſu contra laicum, ca.ceterum, 5.de iuram.cal. quamuis olim non iuraret, c.1.eod. Item vniuerſitas vel eius œconomus, vel ſyndicus,

c.4.&

§.4.& *fin.eod.* item & tutores, *d.l.2 §.quod obſeruari, C.de iur.cal.* Si noluerit actor iurare, cadit a iure & actione: ſi reus nolit, pro cõfeſſo habetur, *l.ſi non fuerit, de iureiur.P.l.delata conditione, C.eo.c.ſi.de iur.cal.l.2.§.quod ſi actor, C.eod.* Remittitur tamen patrono, & parentibus, *l.iuſiurandum, quod ad pecunias, § qui iuſiurandum, de iureiur.P.l.de die ponenda, §.iubetur, qui ſatiſd cog. P.* Suidas in ver. ἀντωμασία, refert antomaſiam fuiſſe actionem contra aliquem iureiurando firmatam, de iniuriis quas ſibi factas diceret ſcriptam, dum inquit, deferebant ad magiſtratus tam actores, quam rei de controuerſia ex æquo vtrique iurantes: alteri, ſe vere accuſaturos, alteri ſe vere reſponſuros eſſe. In conſt. Franc. 1. ann. 1539. art. 38. idem ſtatutum fere. Sic enim ſtatuitur: *Et ſeront tenues les parties affermer par ſerment des faicts contenus en leurs eſcriptures & additions: & par icelles enſemble par les reſponſes auxdicts interrogatoires confeſſer ceux qui ſerõt de leur ſcience & cognoiſſance, ſans les pouuoir deſnier ou paſſer par non ſcauance.*

5 ¶† Interrogationes in iudicio etiam fieri nemo ambigit, per ea quæ traduntur in tit. De interrogat. action. & per art. 37. eiuſd. conſtit. Franciſ. 1. Fiunt autem vel quando Iudici videbitur, & in quacunq; parte litis, in his quæ expreſſa ſunt a litigatoribus apud Iudicem, vt in hereditatibus, vel in aliis rebus quæ in cauſſis vertuntur, & in illis quorum difficilis eſt probatio, *l.vbicunque, 22. de interro.act.P.l.1.2.3.* vt interrogatus confitendo vel mentiendo, ſeſe oneret reſponſione, *l.voluit prætor, eod.* Ideo fiunt poſitiones quæ dicuntur *faicts*, de quibus interdum ſtatuit Iudex aduerſariũ reſponſurum, dicunt in praxi, *qu'il ſe ſera ouyr cathegoriquement.*

6 ¶† In quo & Iudici & aduerſario conſiderandæ ſunt naturę poſitionum, quibus quis tenetur, vel non tenetur reſpondere, primo, ne cogatur reſpondere poſitioni incertæ & confuſæ: quia reſpõſio nihil releuat Iudicem, cum non faciat probationem, *l. ad probationem, C.de probat.c.præſentia, eo. arg. l.1.§.ſi quis argẽtum, depoſ. P.* Secundo, ſi non faciat ad cauſſam, vocaturque in praxi, *faict impertinent.* Tertio, ſi iam fundauerit ſuam intentionem reus, & poſitiones contrarias actor ponat: quia dubia cauſſa amplius nõ eſt, *Bal.ad c.1.de probat. Iaſ in l.admonendi, n.81. in poſte.lec.de reb.cred.* Quarto, ſi poſitio ſuperflua eſt, vt ſi alias idem reſponderit, vel in principio litis, vel alibi, *Bal.in l.ampliorẽ, §.in refutatoriis, de temp. appel. & in l.contractibus, §.illo, C.de non nu.pec.* Quinto, ſi fiat de facto alieno & alterius, quam interrogati, *l.qui interrogatur, cum gl. de inter.act.P.* Sexto, ſi poſitio negatiua, quæ probari non poteſt, *c. quoniam contra, de proba.c.1.de confeſ.in 6 gl.in l.1 C.eo.* Septimo, ſi captioſa, *per rationem l.in fundo, de rei vind.* Octauo, ſi contraria alii propoſitæ poſitioni: quia allegans contraria non eſt audiẽdus, *l.1.C.de fur.l.eum qui, & l.contra maiores, C.de inoffic.teſt.l.per minorem, de iud.P.* Nono, ſi poſitio ſit rei quæ iuris communis diſpoſitionis eſt: ius enim certum eſt, *l.ornamentorum, de aur. & ar.le.P.l.2.de iur. & fact.ign.P.* nec eget probatione: contra, ſi ſtatuti ciuitatis vel municipalis eſſet.

7 ¶† Ex interrogationibus & reſponſionibus ſequuntur confeſſiones vel negationes. Confeſſiones ſub Iudice factæ, vim probationis habent contra confitentem, *l.non alienum, 11.l.de ætate, 12.§.qui interrogatus, l.1.de confeſ.C.* ſi ius vel natura non repugnet, *l.confeſſionibus, 14.l.ſi is cuius, 15.de interro. act.* & error non interuenerit, *l.de ætate, §.ex cauſſa, & l.qui iuſto errore, e.* & ſi alia omnia interuenerint, quæ probat gl. ad l.1.C.de cõfeſſ. & in fauorem tantum eius, cuius cauſſa interrogatus fuit, non aliorum, *l.ſi.eo.P.* Nã & illius etiam expenſis interrogatio fieri debet, non interrogati, *arg.l.generaliter, §.his, de reb.cred gl. & Bar.in l.2.§.defendi, ex quib. cau.in poſ.eat.P.l.ſed & ſi, §.1.ad exhib.P.* nec alterius: & ad eum ſolum, commodum pertinet probationis vel mendacii, ſi interrogatus mentiatur reſpondendo, *in l.non alienum, & l.de ætate, §.ſi cũ eſſet, & l.4.de interrog.act.P.* Quod ſi neget interrogatus, fit conteſtatio, & ad iuramentum calumniæ prius, poſtea ad alias probationes perueniendum eſt. Formula porro iuramẽti de calumnia, ſecundum negotium in quo iuratur exigitur.

8 ¶† Actor iurat, non calumniandi animo litem ſe mouiſſe, ſed exiſtimando ſe bonam cauſſam habere. Reus, quod putans ſe bona inſtantia vti, ad reluctandũ peruenerit, *l.1. & 2.de iureiur. propt. cal.§.1.de pœ.teme.litig.* Addit Iuſtinia. iurare debere etiam, nullam in tota lite ſe exacturos probationem, niſi quam pro veritate putarint eſſe neceſſariam, *auth.in iſto.de iureiur.propt.cal. §. fin.de iis qui ingred.ad appell.in auth.* Quod nihil penitus cauſſa patrocinii iudicibus, vel alii cuicunque perſonæ pro hac cauſſa dederint, vel promiſerint, vel poſtea dabunt per ſe vel per interpoſitam perſonam: exceptis quæ leges dare permittunt, *auth.principales, de iure. prop.cal.§.1.vt litig.iur.in auth.* In aliis, in quibus cauſſæ natura alia eſt, quod quiſq; credit & exiſtimat iurandum eſt, *d.l.2.§ quod obſeruari, de iure propt.cal.C.* Iurãdi alia Aduocati formula etiam, in l.rem non nouam, §.patroni, C.de iud. Alia Iudicis, in l.1.C. de iureiur.prop.cal. Procurator porro iurat in animam conſtituentis; & ſolum cum ſpeciali mandato, *Bart.in l.2 §.ſi.eo.tit.* ¶† In Gallia 9 aduocati non præſtant iuramentum hoc calumniæ non inferendæ in ſingulis cauſſis, ſed vel ſemel dum admittuntur ad ſubſellia generaliter eo ipſo iuramento ſe obſtringunt pro omnibus: vel in curiis ſupremis, ſemel in anno ſingulis Martinalibus inaugurationibus. ¶† Ceterum, non quilibet poteſt petere hoc ſacramẽ- 10 tum ab ipſis litigantibus iure, ſed tantum is qui poſitiones conſtituit, cuius ſolius intereſt: ideo ſi petatur, omiſſio eius non vitiat geſtũ iudicio. Et ſi non petatur, remiſſum eſſe cenſetur, *c.1.de iura. cal.in 6.Hoſti.in Sum.vt lit.non cont.n.3.auth hoc ſacramentum, C. de iureiur.propt.cal.dand.* Iudex tamen illud exigere poteſt in quacunq; parte litis, ſecundum Baldum, etiam poſt concluſionem, *Bald.in l.1.§.ſed nunquid, de iure.propt.cal. C.* In eo tamẽ quod per concluſionem exigatur, gl.in c.ex literis, de iureiur. diſſentit, & illam communiter Doctores ſequuntur. Alioquin iuramentum hoc, ſemper recte petitur. ¶† Finis namq; propter quem iuramẽ- 11 tum inuentum eſt, iam aduenit, & poſtea ſero ſapiunt Iudices: is enim eſt, litium facilior & promtior terminatio. Nam ſacramenti timore, contentioſa litigantium inſtantia compeſcitur, *l.1.eo.§. de pœ.teme.litig.* Inſtantia autem iam peracta eſt adueniente concluſione negotii: & ita tacite remiſſum iuramẽtum de calumnia; perinde ac ſi nõ neceſſarium viſum fuerit, & ita nõ vitiat omiſſio actum: quanquam expreſſe remitti a litigantibus nõ poſſit, videlicet vbi opus eſt eo, *l.2.§.ſed quia veremur, de iureiur.prop.cal. C.* Sic enim non expreſſa non nocent, quæ expreſſa nocent, *l.ſi quis Sempronium, de hered.inſt.P.l.nonnunquam, de condi. & demon.P.* quia & dolus futurus remitti non poteſt, *l.ſi vnus, 20.§.illud nullá pactione, de pact.P.* quamuis commiſſus remittatur, *l.cum donationes, C. de tranſact.* Nec valent pacta quæ inducunt ad delinquendum, *l.conuenire, de pact.dotal.P.l.alia lege, §.eleganter, ſol.matr.P.* ¶† Satius tamen, ſi requiratur, viſum eſt ante litẽ adhiberi, vt cir- 12 cuncidantur lites, *c.finem litibus, de dolo & contu.l.properãdum, de iudi.C.l.fratris, C.de tranſ.* Item ad euitandam vexationem litigãtium, *l.de die ponenda, 8.§.iubetur, qui ſatiſd.cog.P.c.1.de accuſat.* dicunt & fauorabile eſſe iuramentum calumniæ iuranti, vt ſi calumnioſe præſumatur quippiam, & perperam dictum ſit per eum, excuſetur propter iuramentum: non tamen immunitatem habeat ab expreſſa calumnia, *Bartol.in l.ſi quis, §.ſtellionatus, ad Turpill. Bald.in l.ſi tibi, de lib.cau.C.* Etenim receptũ eſt, etiam finita cauſſa ciuili, poſſe de calumnia accuſare reum *gloſſ.in l.& in priuatis, ad Senat.Turp.P.*

## De Dilationibus. 8.

Lib.2.P.tit.12. Lib 3.C.tit.11. Lib.2.Decret tit.8.

1 *Dilatio quid.*
2 *Tempore res fiunt & pereunt.*
3 *Dilationes iudiciales, extraiudiciales, & conuentionales quæ, & quotuplices, dantur ſecundum res, de quibus agitur, & quæ conſideranda in illis præfigendis, nu.4. & 5.*
6 *Deliberatoriæ induciæ quando in iudicio dandæ ſint, & vbi.*
7 *Dilationes plures in iudicio quando dentur.*
8 *Appellationes duæ præparatoriæ, dilatoriæ quæ.*
9 *Probandi cauſſa dilatio, cuius temporis, & quando datur & prò quibus, & quot, nu.10.*
11 *Dilatio prorogata & noua quomodo differant, & quid ſit prorogatio.*
12 *Dilatio data a iudice litigantibus quando poſſit per illũ reuocari.*
13 *Dilationum ſpatia continua, nec interpolata feriis.*
14 *Dilationes extraiudiciales a quibus dantur: & a quibus iudiciales, nu.15.*
16 *Dilatio ciuilis, & neceſſaria.*
17 *Dilationes qua forma dandæ.*
18 *Dilatio ad cuius vtilitatem pertineat. Finis dilationum, & rationes, nu.19. & 20.*

IN † omnibus fere iudicii partibus, incidit mentio de dilatione, 1 & maxime vbi de cõſultando & probãdo quæſtio vertitur. Proinde de dilationibus antequã ad probationes perueniamus, quædam compendioſe admonebo. Dilatio eſt, ſpatii temporis ad aliquid agendum vel dicendum conſtitutio, vel extenſio, per cõſenſum quorum intereſt, vel per legem, vel per Iudicem facta.

*Tempus item*, inquit Lucretius, *1. de re. nat. per ſe non eſt, ſed*
*rebus ab ipſis.*
*Conſequitur ſenſus? Tranſactum quid ſit in æuo,*
*Tum quæ res inſtet, quid porro deinde ſequatur,*
*Nec per ſe quemquam tempus ſentire fatendum eſt.*

2 ¶ † Omnia tempus proprium habent quo fiant: & ſuis ſpaciis
tranſeunt vniuerſa ſub cœlo, *Eccleſia. c. 3.* Et quædam certo tem-
pore fieri debent, in quo ſi non fiant, facultas agendi perit, *vt in l.*
*3. C. de fer. leg. 1. de cōd. ex lege, l. vbi adhuc, C. de iure dot.* Et nos plu-
ra de temporum obſeruatione diximus, lib. 4. Præludior. optimi
Iuriſc. per 14. capita, vbi de horis egimus, *vt in l. in omnib. de actio.*
*P.* Pereunt autem res temporariæ in nouiſſimo momento tem-
poris decreti, *l. ratum, 42. de ſol. P.* & cum aliquo intellectus tem-
3 peramento, *l. quod dicimus, 105. eod.* ¶ † Dilationū aliæ cum mo-
ra, quæ culpam habent: quales ſunt illæ quæ reprehenduntur, &
moroſæ actiones, iuxta l. mora, de vſur. P. l. quod te, de reb. cred.
P. l. ſi ex legati cauſſa, de verb. oblig. cum ſimilib. Aliæ ſine culpa
indultæ, & legitimæ. Dilationum dantur ſpecies 38. ab Specul. §.
1. de dilatio. quas longum nimis & tædioſum eſſet recēſere. Qua-
re ſufficiet præſcire, dilationum alias eſſe peremtorias, quæ per-
imunt facultatem agendi: alias dilatorias quæ differunt tantum,
non autem perimunt, *l. ad peremtorium, 68. cum ſeq. de iud. P.* Rur-
ſum alias iudiciales, ex quibus quædam nocere ſolent, aliæ non
nocent: alias extraiudiciales: quæ vel conuentionales, vel ſine
conuentione, & de rebus quæ non pertinent ad iudicium, & de
rebus quæ pertinent. Iudiciales quoque dicentur, & quæ dantur
a iudice. Et hæ diuerſæ, ſecundum actus quibus adiiciuntur: vt ci-
tatoriæ, deliberatoriæ, probatoriæ, productoriæ, &c. Extraiudi-
cialium ergo nomine continebuntur conuentionales, non con-
uentionales & legales. Conuentionales ſunt, quæ ex conuentio-
ne partium ſeu litigantium, ratione prēſtationis vel alterius actus
faciendi dantur, *l. de die ponenda, 8. qui ſatiſda. cog. P. cap. paſtoralis,*
4 *27. §. fi. de off. dele.* ¶ † Sic legales, quæ a lege generali, vel ſtatuto
ſeu ſtylo dantur. Habemus in illis concedendis rationem de re-
bus de quibus agitur in genere, & in ſpecie. Nam in contractibus
quibuſdam dilationes moram cum culpa conſtituunt, in aliis non
cōſtituunt: ſed hæc ad moram quæ ex perſona ſolet oriri referen-
da ſunt, *l. mora, de vſur.* de quibus ſuo loco in contractibus dictum
eſt. *ſupr. libr. 21. Syntag. c. 14.* Leges, certis negotiis definita quædā
ſubſtantialia adiecerunt tempora, quæ vix prorogari vel minui
poſſunt. Vt eremodicio ciuilium quæſtionum a tempore litis cō-
teſtatæ, triennium: criminalium vero, biennium, *l. properandum,*
*C. de iudic. l. fi. vt in c. cert. temp. crimin. quæſt. termi.*

5 ¶ † In præſcriptionibus alia tempora 10. 20. 30. vel 40. anno-
rum, & in aliis: quæ ſi pertineant ad iudicia, vix breuiari poſſunt,
& niſi magna ex cauſſa: *Alex. & alii in l. 2. de re iudic. P. Panor. in c.*
*cum ſit, de appell.* ex qua diſcedatur a diſpoſitione legis: vel niſi a le-
ge libertas breuiandi, vel prorogandi detur facultas. Quare Iu-
dex, dum minuit legalem dilationem, debet cauſſam exprimere,
vt cognoſcatur num grauamen aliquodve iniuſtum ex ſententia
inductum ſit, *l. qui teſtamento, & ibi gl. & Bar. de excu. tut. P. Ange.*
*& Imol. in l. qui Romæ, §. duo fratres, de ver. oblig. Ange. in tract. ma-*
*lef. in ver. Iudex commiſit, verſ. & eſt notandum.* Sic alioquin dicūt
omnem dilationem eſſe peremtoriam, quæ datur a lege, vel a ſta-
tuto, nec requirere miniſterium Iudicis, *Ange. in l. fi. de fer. P. vt in*
*l. mancipiorum, de optio. legat. P. l. peremtorias, C. ſenten. reſc. non poſſ.*
*l. Attillicinus, de pact. dotal. P.* Conſiderat & lex & Iudex in iudicia-
libus dilationibus dandis, negotia & cauſſas, ante conteſtationē,
poſt citationem, poſt conteſtationem: & num citatoriæ, delibe-
ratoriæ, & probatoriæ ſint. Citatoriæ veniendi cauſſa dantur, cō-
ſiderata diſtantia locorum, qualitate perſonarum & negotiorū.
Item deliberatoriæ & aliæ ex gratia ad exſpectandum vocatum,
*ca. præſenti decreto, 5. q. 2. l. properandum, §. & ſi quidem, de iudic. C.*
Idem in deliberatoriis dicendum, num quis velit litigare, vel ce-
dere, *l. 1. de edend. P.* Alioquin ſi tempus, conſideratis iſtis & ſtylo,
non ſit ſufficiens, iuſta eſt prouocādi a peremtoria dilatione cauſ-
ſa, *c. 1. de dilat.* Continet autem interdum & plerumque citatio,
quæ plena & ſufficiens eſt: tempus veniendi & deliberandi, nem-
pe cauſſam litis inſtituendæ, & editionem cauſſæ: vt deliberare
poſſit vocatus de lite perſequenda, vel omittenda, *c. fin. de lib. obl.*
*c. fi. 5. q. 2.* Interdum, propter locorum diſtantiam, vna vocatio ſuf-
ficit pro pluribus, *cap. cum ex literis, in fi. de in integ. reſtit.* Quam-
obrem longior dilatio concedenda eſt, & vtrique negotio ſuffi-
ciens: quia explicita in edicto vocationis cauſſa, aliæ induciæ non
dantur ad deliberandum, *c. præterea, 2. de dilatio.*

¶ † Et proinde conſtitution. Franciſc. 1. ann. 1539. artic. 18. cau- 6
tum eſt, ne ante litis conteſtationem dentur dilationes delibera-
toriæ, quas vocant *d' aduis*, vel abſentiæ, nec aliæ quam vocandi
cauſſa auctorem, quas etiam vocant *garand*. Quod & cauerat cō-
ſtit. Caroli 7. artic. 65. Sancitum enim eſt, vt antea monui, omnes
vocationes ſeu citationes eſſe debere libellatas, id eſt, continen-
tes cauſſam vocationis, ex qua reus deliberare antequam veniat,
poſſit. Aliter namque dare dilationem expedit deliberandi cauſ-
ſa, *auth. offeratur, de lit. con. c. induciæ accuſantis, §. offeratur, 3. q. 3.*
Quemadmodum & ex noua libelli per actorem interpretatio-
ne, aliæ, *c. 3. & fin. de dilatio.* & præparatoriæ ad probandum, *c. 1. 2.*
*3. 4. & 5. in 3. q. 5.* In vocatione porro ſimplici ad procedendum
in cauſſa intermiſſa, vel per viam anticipationis, vel ad proſequē-
dam cauſſam appellationis, ſufficit dari dilationem intra quam
poſſit tantum vocatus componere ſarcinulas ad veniendum, *l. ab*
*hoſtibus, §. fina. ex quib. cau. maio. P.*

¶ † Dandæ interdum plures dilationes ad conuincendam ma- 7
litiam fugientis, & ad inſtruendam contumaciam, *in auth. iube-*
*mus, C. de iudi. §. ſed hoc, vt cum de appell. cogn. in auth.* Deliberato-
riæ induciæ reo, non actori qui inſtructus venire debet, dantur,
*l. 2. C. de dilatio. l. qui in alterius, de regu. iur. P. l. petendæ, 6. de tempo.*
*in inte. reſtit. C.* Poſt vocationem aliquando ex noua cauſſa etiam
alia dilatio conuento & vocato reo datur: veluti, ſi vocatus vt a-
gnoſcat chirographum, eo agnito opponat ſolutiones: nam earū
gratia vt liqueat, conceditur illi dilatio, datis tamen interim pi-
gnoribus, & manu, vt dicunt, Regis & Iuſtitiæ munita, *Maſu in*
*praxi forenſi, tit. de contumacia, §. 10. incip. Item ſi quis fuerit adior-*
*natus, & tit. de dilat. §. item cum quis adiornatur, vide & conſtit. re-*
*giam Franciſ. l. 1539. art. 92.* ¶ † In cauſſa appellationis, per prouo- 8
cationem ad curiam deuoluta, dilationes præparatoriæ duæ dan-
tur ferendorum actorum gratia, quas vocant *pour porter le proces*
*qui eſt par eſcript.* Siquidem practici conſtituunt differentiam, in-
ter *proces par eſcript, & cauſſe d'appel*, quod proceſſus in ſcriptis, ex
iiſdem actis quæ deferri debent, iudicetur in decuriis inqueſtarū:
cauſſa vero appelli, in auditorio præcipuo, perorato negotio. E-
lapſis porro duabus dilationibus conceſſis ad ferendum proceſ-
ſum, decernitur a curia eremodicium, ſeu congedium, cōtra pro-
uocantem qui acta iudicialia non detulit, cum exceptione tamen
alicuius breuioris dilationis, quam dicunt *Sauf ſi dans le terme*, ſeu
*ſurceance.* Et ita præſcribit conſtitutio Ludouici 12. anni 1512. art.
19. ¶ † Probatorię dilationes ſunt, quę probationis faciendę cauſ- 9
ſa conceduntur, cōſiderata primum locorum intercapedine, vbi
faciendæ ſunt, *c. 1. de dilat.* Secundo, vt probatio releuet proban-
tem, *l. ad probationem, 27. de probatio. C.* Tertio, vt non petatur per
calumniam, *l. 2. de temp. appell.* ¶ † In ciuilibus negotiis regulariter 10
ſemel tantum datur dilatio eiuſdem cauſſæ: In criminalibus duæ
accuſatori, tres reo, *l. fi. de feriis, P.* niſi in ciuilibus ad conuincen-
dam contumaciam plures decernantur, *auth. iubemus, C. de iud. §.*
*quod vero, & ibi gl. vt cum de appel. cogn. in Auth. auth. qui ſemel, C.*
*quo. & quan. iud.* Vetat etiam Carolus 7. in conſtitution. publica-
ta anno Domini 1446. arti. 18. ſine cauſſæ cognitione dilationem
ſecundam dari. Cauſſa namque cognita, interdum apparet æquū
& iuſtum eſſe, aliam dandam vel datam prorogandā: vt ſi aliquod
inopinatum impedimentum emerſerit quo non potuit ante res
perfici, *l. oratione, de feriis, P.* aut ſi res extra communes conſidera-
tiones ſita ſit, *l. 1. C. de dilat. c. induciæ, 2. q. 3.* vel ſi quis abſens ſit ob
morbum ſonticum ſeu nocentem. Sicuti iudicatum eſt in accu-
ſatione P. Scipionis Africani, a Tribunis plebis, cum duo QQ.
Petili illi diem dixerunt, & pecuniæ captæ a rege Antiocho, reū
accuſarunt, vti conditionibus gratioſis & mollibus pax cum eo
populi Romani nomine fieret: vt auctor Liuius, libro 8. decad. 4.
& Appianus, in Syriaco.

¶ † Facilius vero prorogatur data dilatio, quam noua detur, 11
*glo. in l. fi. de feriis, P.* Prorogatio dicitur extenſio dilationis datæ a
termino dato & nondum elapſo, in longius tempus, *leg. ſed & ſi*
*manente, 5. de precar. P. l. 2. § ſed ſi iudex, de iudic. P.* Noua vero eſt
dilatio, cum finito termino prioris, alia datur: quod nō debet fie-
ri, niſi ex cauſſa: veluti, ſi aduerſarius impedimentum obiiciat ne-
gotio, & facto ipſius is cui dilatio data eſt, non poſſit exſequi. Sed
& cauſſa eſt iuſta, ſi addat ſuo libello quippiam aduerſarius, *Aug.*
*in l. 1. §. ſi quis ſtipulanti, de verb. oblig. P.* vel ſi nouam cumularet a-
ctionem, *gloſſ. & Barto. in l. edita, Cod. de edend. gloſſ. in cap. lite-*
*ra, de dilat.*

¶ † Nam in his danda noua dilatio. Facit cognitio cauſſæ re- 12
quiſita in noua dilatione, vt quę ſine cognitione cōceſſa eſt, poſſit
facile

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

facile a Iudice reuocari, *Innoc.in c.querelam, de ele. Bart. in l. quod iuſſit, de re iudic.* ex interuallo, vel in continenti, etſi partium non interſit, *Butri.in c.ſignificante, de appel. Ange.de Wald.in l.ſiue pars, C.de dila* aut niſi conſenſu vtriuſque partis indulta ſit, & alteri ex litigantibus, cui indulta eſt, ita noceat reuocatio. Nam ea Iudici tunc non eſt permittenda, cum eo tempore ceſſet eius officium, *vt aiunt proxime citati DD.in l.ſiue pars, & c ſignificante, citatis.*

13 ¶ † Dilationum ſpatia, continua nihilominus computabis in omnibus, *gloſſ.in l.2.de diuer.& temp.præſc. P.* Et ita continebuntur feriati dies cum non feriatis, item ſolemnes, & ſtati, quorum qui dilationem poſtulauit, potuit habere cognitionem, & quos potuit præuidere, & proſpicere ne in illos incideret: contra, ſi feriæ ſuperuenirent repentinæ, quibus ſubductis alii dies in locum earum totidem ſubrogandi ſunt, & diffinienda dilatio, *l. ſed & ſi per prætorem, 26.§ ſi feriæ, ex quib.cau.maio. P.* idque reſtitutionis beneficio. Nam iure communi, & dies feriarum repentinarum annumerantur in continuatione temporis præſtituti dilationi: vt & feriæ ſolemnes, *d.l.ſiue pars §.fi.& l.1.C.de feriis.* Sed erga repentinas reſtitutio dierum: erga ſtatas & ſolemnes, nequaquam.

14 ¶ † Dantur extraiudiciales & iudiciales dilationes a lege etiam litigantibus, *l.2.& l.debitoribus, de re iudic.P.l.1.2.3.de vſur.rei iud. C.l.1.de calumniat.P.* conſuetudine, ſeu ſtylo cuiuſque curiæ, *cap. cõſtitutus, de in inte.reſt. Bar.in l.ſi arrogator, de adop.P.Tiraq.tract. de retract.gentil.§.1.gloſſ.10.* Solent conſuetudinarias dilationes & ex ſt... datas practici vocare, *delais ordinaires,* quas ordinarias dilat... procuratores aut aduocati ſine ſtrepitu iudicii conſueuerunt acc...ere coram amanuenſi vel actuario iudicis, coram quo debite certatur, vt in acta reducant, & ſcripto conſtet de illis, iuxta conſtitu. Caroli 8. artic.41.57.& 60. Cuiuſmodi cenſentur dilationes, ad appellationis & cauſſæ acta in curiam deferenda, ad producenda, &c. nam ſtatæ & certæ ſunt ex cuiuſque curiæ ſtylo, ad ea & ſimilia facienda dilationes: extra quas ſi longius poſtuletur tempus, in iudicio contendendum eſt renuente altera parte, & cauſſa cognoſcenda, aut ex conſenſu aduerſarii, dilatio indulgebitur extraordinaria. Sic enim ab iis quorum intereſt non dari, diſpenſatur ſi velint: vt & in extraiudicialibus, ab homine conceduntur conuentione.

15 ¶ † A Iudice autẽ frequentius dilationum moderatio & definitio pendet, qui veluti clauum in concertatione tenens, ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum qualitatem, negotii exigentiam, conformes iuri, vel arctiores, vel longiores decernit, *ca. cum ſit Romana, de appe.c.cum longe, 63.diſt.c.vbicunque, 13.q.2.l. qui bona fide, 13.§.fi.& l.ſequ.& l.ſi finita, §. tertio, de dam.infect.l. nonnunquam, de iudic.P.l.2.de re iudic.P.l.continuus, 137.§. cum ita ſtipulatus, de ver.obl.* Hæc enim vt pleraque commiſſa ſunt arbitrio iudicis vt generaliter a lege ſtatuta, poſſit ſua iuriſdictione in indiuiduis ſecundum quod magis conuenire videbitur, temperare, & ſua iuriſdictione explicare, prorogare, & ſupplere, *in l. neque leges, & l.non poſſunt omnes articuli, & l.nam vt ait Pædius, de legib.P.* Hic tamen in rebus & negotiis, conſiderabit contractus, & quo tempore in illis placuit inter paciſcentes præſtari, medio tempore relicto libero debitori, *l. quod in diem, de ſolut. l. cum tempus, de regul.iur.* Interpellat dies adiectus debitorem, & dilationem finit legitimam, & illegitimæ, nempe moræ, initium dat,
16 *l.magnam, de contrah.ſtip.C.* ¶ † Et reipſa negotium habet dilationem interdum ciuilem, interdum neceſſariam. Ciuilem videlicet, vt non ſtatim vbi dies aduenit ſolutionis quis teneatur ſatisfacere, ſed modicum tempus aliud exſpectandum ſit, *l. quod dicimus, 105. de ſolut. P.* Neque hic momenta, quemadmodum in quibuſdam aliis, obſeruanda ſunt, *vt in l.ideoque, de vſucap. P.l.1. de manumiſ.P.l.3 §.minorem, de minor.25 ann.* Naturalis cauſſæ dilatio neceſſaria eſt, veluti ſi res præſtationem habeat difficilem, vt tempus ei accommodum exſpectandum ſit, *l.cum res, de ver.*
17 *ſig.cum ſimil.* ¶ † Forma dandarum & accipiendarum dilationũ, ex ſtylo & conſuetudine, vt dixi, cuiuſque curiæ ſumenda eſt. Nã quædam ſunt in quibus dandis non vocatur aduerſarius, nec eſt cauſſæ cognitio neceſſaria: Quædam, quæ nonniſi vtroque modo dantur, *l.a procedente, C.de dilat.* Accedit autem neceſſario adiectio finis propter quem dentur, & certus terminus. Num autem ex arbitrio poſſit dilationes breuiare vel augere Iudex, reſoluitur poſſe: niſi lex prohibeat *gl.in c.cum ſit Romana, de appel.* ex cauſſa videlicet, *c.quod ad conſultationem, 15.de ſent.& re iudic.c.ex ratio-*
18 *ne, & c.oblata, de appell.l.2.de re iud.P.* ¶ † Conſtat autem eius eſſe dilationem, qui impetrauit. Interdum conceſſa, communis non eſt litigantibus: vt ſi de deliberatoria agitur, quæ reo non actori datur, *l.2.C.de dilatio.* Aliquando autem communis vtriq; litigãtium, vt quæ probandi, *leg.petendæ, C.de temp.in integ.reſtit.* petẽ & producendi gratia indulgetur, & ſimiles quæ praxis facile docet. Si tamen non communis reo detur, actor eius termino & dilatione vti poterit, *d.l.petendæ, & l.per hanc, de temp.appel.C.l.fi. de appella.* Quod ſi is cui data eſt dilatio re integra renuntiauerit eidem, neque aduerſarius illius termino vti poterit, *l.ſi iudex circũuento, de minor.P.* ¶ † Fines dilationum ſine dubio multi ſunt, & 19
aperti, vt deliberatio, probatio, exhibitio, inſtructio, auditio, productio, concluſio & ſimilia. ¶ † At rationes, cur dilationes dari 20
ita conſiderate expediat, plures ſunt: quarum prior, ne nimia licentia litigantes lites protrahant, & aduerſarios iuſte ſuum proſequentes eludant: quod ne fiat, breuibus ſed idoneis temporum ſpatiis facienda circumſcribuntur, vt lites breuiores reddantur, quod & Reipub. expedit, *l.properandum, de iudic.C.l.2. C. de temp. appel.cle.diſpendioſam, de iudi.c.2.de ſent.& re iud.c.venerabilis, de dol.& contu.* Sed & ſecundo fugientibus pleniores indulgentur dilationes: ne illis vlla tergiuerſandi detur occaſio, & vt loquar cũ lege, ad conuincendam eorum malitiam, *auth.iubemus, C.de iudi.* Tertio dantur, ne præcipiti calumniantium celeritate, iuſtæ defenſiones reis præripiantur, *c.induciæ, in 1.3.q.3.c.tranſmarinos.98. diſt.* mature cum tempore res perpendantur, & conſilio nõ præcipitentur, neve ordo gerendorum corrumpatur, *c.ponderent, 50. diſt.l.& quia defunctorum, de interro.act.P.* aut damnum ex temeraria reſponſione ſequatur, *l.qui interrogatur, 9.eod.* Item 4. in fauorem iudicis & ſententiæ hæ dantur, quia oportet iudicem cuncta rimari, & ordinem rerum plena diſquiſitione diſcutere, interrogandi, reſpondendi, obiiciendique ab eo præbita patientia, vt ibi actio illuminata ſit plene ambarum partium, *c.iudicantem, 30. q.5.c.inprimis, 2 q 1.l.iudices, & auth.iubemus, de iudi.C.ca.occidit Phinees, 23.q.8.l.2.C.de eden.* nec in dubiis certa fieri poteſt ſententia, *d.c.iudicantem.* Sed & poſtremo, qui habet dilationem legitimam, habet excuſationem ne in moram vitioſam incidat: neve quippiam ea pendente innouetur, *c.2.& c.præterea, de dilat.l.3.C. eod.* Vtque etiam elapſo termino, aduerſarius illi præſcribere poſſit peremtorie, veluti per ſententiam interlocutoriam, *l.qualem, 27.de recep.arbit.P.*

## De Probationibus in genere. Cap. 9.

Lib.22.P.tit.3. Lib.4.C tit.19. Lib 2 Decret.tit.19.

1 *Probatio quid. Eius ſpecies, plena & ſemiplena. nu.2.& 3.*
4 *Probatio artificialis & inartificialis quæ.*
5 *Probationes inartificialis regulares & irregulares quæ.*
6 *Probatio de quibus fiat.*
7 *Iudex non ſupplet probationem facti, ſed iuris.*
8 *Probationes quis permittat, & in quibus & quæ requirantur in illis, nu.9.& 10.*
11 *Probationis onus ad quem pertinet.*
12 *Probationis finis & rationes, nu.13.& ſeq.*
14 *Probationibus ab vtraque litigatorum parte ex æquo concurrentibus & contrariis, quid iudici ſtatuendum in ciuilibus & criminalibus.*
15 *Probatio dubia contra quem eſt explicanda.*
16 *Probatio de iure naturali eſt.*
17 *Probatio plena & leuis in quibus fiat.*

CAuſſa, † inquit Iſidorus, *c.forus, de ver.ſig.* aut argumentis, aut probatione conſtat. Argumentum inueſtigatione ſola, ſine teſtibus aut tabulis inuenit veritatem. Probatio, vtrumq; habet. Cum igitur negatio fidem litis faciat dubiam, probationes faciẽdæ ſunt. Probatio, eſt rei dubiæ aut non apertæ, per media in iudicio facta legitima manifeſtatio. † Rebuffus, *in §.fi.in ver.ſpecie probationis, de regia ad prælat.nominatio.in concord.* viginti ſpecies adfert probationis. Nos a tanta mole exonerabimus lectorem, in pauca diuiſionem coniiciendo: vt probationum alia ſit plena, alia ſemiplena. Plena ea, per quam fides tanta fit iudici, vt plene inſtructus ſibi videatur, *Bart.in l.admonendi, 3.col.verſ quando dicatur, de iureiu.P.l.3.§ 1.de teſt.P.in c.cum cauſſa, de prob.* qualis probatio per duos vel tres teſtes ad minus, *l.vbi numerus, de teſti. P.c. 4.eo.Ioannis, c.8.Deu.17.D.Mat.19.* Nam quamuis quædam negotia ad plenam fidem quinque, *l.fi.C.de codicil.* vel ſeptem, *l.fin.C. de don cau.mort.l.iubemus, & l.hac conſultiſſima, C.de teſtam.l.hac conſultiſſima, qui teſt.fac.poſſ.C.l.heredes palam, §.in teſtamentis, de teſtamen. P.l.fin.de iis qui in eccleſ.manumitt. Cod.cap.teſtium de teſtib.* vel plures, *cap.præſul.& cap.nullam damnationem, 2.quæſt. quinta,* exigant: tamen plena probatio dici non poteſt per vnum

teſtem, *cap. licet, de teſtib.* Dicitur & plena probatio inſtrumentum publicorum, quæ eandem vim in Iudiciis quam teſtes habent, *l. in exercendis, 15. de fide inſtr. C. ca. cum Ioannes, eod. ap. Greg.* Dicunt & plenam probationem interpretes, quæ conſtat ex ſemiplenis duabus, vel pluribus, puta vno teſte, & confeſſione parte abſente facta, *Bart. in l. admonendi, num. 47. de iureiur. P. probat idipſum cap. fi. de ſucceſ. ab inteſt.* Accedit & iuramentum cum ſemiplena, in defectum plenæ probationis plenam faciens, *Bart. ad d. l. admonendi, num. 12. facit l. in bonæfidei, C. de iureiur. ca. fi. iuncta gloſſ. eod. vt & in l. legitimos, 5. de legi. tuto.* Item & ex vno teſte & fama, poteſt plena probatio fieri, *Barto. in d. l. admonendi, nu.* 48. *ca. 1. de appell. Nota. in l. 3. §. eiuſdem vero, de teſti. P.* Et quamuis regula videatur conſtitui, duo imperfecta non efficere vnum perfectum, vt in l. 2. §. fin. & l. ſpadonem, §. qui, de excuſat. tut. & l. 1. qui nume. liber. ſe excuſ. cum ſimilib. Illa tamen eſt intelligenda, quando duo imperfecta tendunt ad diuerſa: vt quando duo diuerſa tendebant ad diuerſas ſpecies excuſationis. Contrarium vero intelligendum eſt, dum imperfectorum vnus & idem finis eſt. Vt hic dum de fide facienda in iudicio agitur, quam Iudex nõ ex vno genere probationum, ſed ex pluribus colligere debet, *d. l. 3. §. eiuſdem quoque, de teſtib. P. Bart. in d. l. admonendi, num. 48. &* 49. Et ſic ſingula quæ per ſe non proſunt, cumulata iuuant vel efficiunt.

3 ¶ † Semiplena probatio eſt, quæ plenam fidem non facit: cuiuſmodi dicuntur iudicia, *Bart. ad l. pen. de quæ. P.* vnus teſtis, opinio, fama, ſcripturæ priuatæ, rationes, confeſſio extraiudicialis, modica præſumtio, & alia quæ docent interpretes ad l. admonẽdi, de iureiur. P. & in ca. fin. eod. apud Gregor. gloſſ. in l. in bonæ fidei, ad verb. *decidi*, C. de iureiur.

4 ¶ † Ceterum, plenarum & ſemiplenarum probationum rurſus partitio fit in probationes artificiales, quas Græci dicunt ἐντέχνους: & in inartificiales, quas dicũt ἀτέχνους, *de quib. vide Ariſt. 1. Rheto. ad Theo. Quintil. & Cice. 2. de Orat.* Artificiales ex cauſſa trahuntur, & quodammodo ratione gignuntur, & proferuntur circa ius cauſſæ, ex legibus & rationibus hinc inde deductis, ab exemplis, a iudicatis, ab auctoritate Senatuſconſultorum. Inartificiales probationes ſunt, quæ arte dicendi carent, & quas extra dicendi rationem vſurpat orator. Cicero, 2. de Orato. inter artificiales probationes, ponit non excogitata ab Oratore, ſed quæ in re propoſita tractantur, tabulas, teſtimonia, pacta, conuenta, quęſtiones, leges, Senatuſconſulta, res iudicatas, decreta, reſponſa, & reliqua non excogitata ab Oratore.

5 ¶ † Has inartificiales rurſum diuidemus, in ordinarias ſeu regulares, & in extraordinarias ſeu irregulares. Regulares & quæ frequentiori vſu habentur, ſunt, aſpectus, monumenta, notoria, confeſſio, iuramentum, præſumtio, & ibi fama, tortura, teſtes, inſtrumentorum productiones. Irregulares ſunt, iudicia, reuelationes quæ ſeruiunt torturæ, purgationes vulgares & canonicæ, de quibus Deo fauente ſingulari notatione agemus poſtea.

6 ¶ † Fiunt autem probationes de dubiis, non de claris & manifeſtis, *ca. manifeſta, & c. de manifeſta, 2. q. 1.* manifeſta tamen & nota ſolum Iudici, vel ſoli aduerſario, pro manifeſtis ad iudicium conſtituendum non habentur: ſed oportet ea quoque aliter fieri manifeſta, & probari aliis. Neque quæ nouit Iudex vt priuatus, pro iudicio ſufficiunt: niſi & ea cognouerit tanquam Iudex, *d. cap. de manifeſta, ca. ſi ſacerdos, de offic. ord.* id eſt, niſi & probata ſint & manifeſta publice. Gerit enim perſonam publicam, dum iudicat, *l. 1. §. ius publicum, de iuſti. & iure.* Neque ſecundum conſcientiam ſeu ſcientiam propriam ſtatuit, *gloſſ. in §. pubertatem, ad ver. ex habitu, quib. mod. tut. finit. glo. in c. dilecto, in ver. recuſaſtis, de teſti. glo. in ca. 1. de offic. ordi. gloſſ. in l. illicitas, §. veritas, de offic. præſid. P.* ſed ſecundum allegata & probata, & vt leges iubent, *d. l. illicitas, §. veritas, ca. iudicet, 3. q. 7. c. ſummouere, 11. q. 3. l. rem non nouam, C. de iudic. l. nemo, de ſen. & interlo. omn. iudic. C. ca. 1. de offic. ord. c. 1. de conſti.* Sic dicitur probatio fieri non aduerſario, ſed iudici, *l. quingenta, 12. de probati. P. l. 1. C. de condictio. ob. turp. cauſſ. l. procurator, C. de eden. l. doce ancillam, C. de rei vind. cum ſimil.* Docuit exemplo ſuo nos Deus, qui quamuis omnia noſcet, & nouerit antequam fiãt, tamen voluit formula iudiciali negotia diſcutere quæ puniret, *Deſcendam*, inquit, *& videbo*, &c. Geneſ. 11. & 18. Vide cap. Deus omnipotens, 2. q. 1. Quod ſi Iudex videat probationem fieri aduerſus ea quæ ipſe certo nouit, puta quia interfuit, & conſcientiæ puritate tactus, nolit iudicium exſequi pro ea falſa probatione, bene quidem faciet ſi ſe a iudicando abſtineat, ſi poſſit: at ſi non poſſit, vt quia ſolus Iudex, debet commonere reos: ſi nihil proficiat, debet ex actis iudicare, *gloſſ. in d. §. pubertatem autem, in verb. ex habitu, quib. mod. tute. fini. text. in d. c. ſi ſacerdos, de offi. ordi. ca. ſi tantum, & c. placuit, 6. q. 2.* Sed & litigator cautus & ſibi proſpiciens, ne tunc probatio perire ſibi poſſit antequam iudicem adeat, curare debet vt alium iudicem habeat, ne illius ſcientis teſtimonium ſibi pereat, *iuxta cap. ſi dilecto, 40. de teſtib.* cum iudex non poſſit eſſe teſtis, vel partis officium cum munere iudicandi obire, *d. cap. de manifeſta, & l. inter litigantes, & l. Julianus, de iudic. P.* Et quamuis receptum ſit Iudices ſecundum quod eis æquum & bonum videbitur, iudicare debere, potiſſimum ſi maioris & ſummi tribunalis ſint, *§. pen. iuſiur. quod præſta. ab iis qui admini. accip. in Auth. auth. hodie, C. de iudic.* illud tamen, quod æquum & bonum videbitur, non ad motum animi cuiuſque Iudicis referẽdum eſt, ſed ad æquum & bonum, iure vel conſtitutionibus regni & conſuetudinibus probatum, ſcriptum, vel ſeruatum, *l. placuit, de iudi. d. § pen. ibi ſecundum legem, & c. tit. iuſiuran. quod præſt. & c. §. iubemus, vt iud. non exp. ſacer. iuſſio in auth. §. iuſiurandum, de defenſ. ciui. in auth.* Et ita iuramentum Iudicum ſe refert ad cuſtodiam & obſeruationem legum, *l. rem non nouam, de iudic. C. cum ſimili. l. nemo, C. de ſent. & interlo. om. iud. l. fin. ad leg. Iul. repet. Cod.* quarum ſunt veluti anima & exſecutores, *l. 2. §. magiſtratus, de ori. iur.* non arbitri. Cum ad ſolum principem pertineat iura noua condere, vel æquitatem non ſcriptam ſupplere, *l. 1. & fin. C. de legib.* non ad Magiſtratus qui legem quamuis duram, prout ſcripta eſt ſequi tenentur, *l. proſpexit, qui & a quib. ma. lib. non fiant, P.* quamuis poſſint certa iuriſdictione ſupplere ea quæ legibus non expreſſe, ſed per extenſionem cõtinentur, *l. non poſſunt, de legib. P.* potiſſimum in his quorum arbitrium lex eis commiſit: vt circa æſtimationem iniuriæ atrocis, *l. 2. de fer. in P.* de finibus regundis, *l. ſi irruptione, §. fi. fini. regun. P.* de ætate aſpectu cẽſenda, *§. pubertatem autem, quib. mo. tut. fini. ap. Iuſtinian. l. minor, de min. 25. ann.* & de ſimilibus.

¶ † Poſſunt & ſupplere allegationem iuris omiſſam a clientibus, vel ab aduocatis eorum: at factum vel eius probationem, nõ 7
poſſunt, *l. vni. vt quæ deſunt adu. iur. par. ſuppl.* vt neceſſarium ſit illud eis apparere probatione aliũde petita. Et in ſumma, de omnibus quæ certa eſſe debent Iudici, ad certam ſententiam proferẽdam, certa debet eſſe probatio, vel certo liquere.

¶ † Statuitur itaque probatio tantum a Iudice, & quid probã- 8
dum ſit ipſe decernet: & ea quæ probata non releuant, non admittet, ſed quæ neceſſaria erunt ad litem terminandam, *l. ad probationem, 22. C. de probat. cap. cum contingat, de offic. deleg. ca. dilecti de excep. cum ſimil. l. pen. §. fin. ne quis eum qui in ius voca. eſt vi exi. l. matrem, 17. C. eod. tit.* Decernitur vero iuxta articulos ſeu capita libelli oblati, *cap. ſignificauerunt, de teſtib. l. argentarius § cum autẽ, vbi gloſſ. de eden. P.* vel iuxta dicta vel poſita in actione vel exceptione per litigantes: cum, vt dixi, Iudex ſupplere non poſſit factum litigantium.

¶ † Vocari debent in facienda probatione quorum intereſt, 9
vt interſint ſi velint in cauſſis ciuilibus, *auth. ſed & quis, C. de teſti. Hoſtienſ. in Sum. de probat. num. 7. l. de vnoquoque, de re iudic.* aliud namque, quando ex officio Iudex vel inquirit, vel teſtes examinat. Fieri & debet poſt litem conteſtatam, nempe poſtquam propoſita aſſerta & negata ſunt, idque iure communi, & ſine contumacia rei, & exceptis cauſſis quas te docebit titul. *Vt lite non conteſt. non proced. ad teſt. examinat. vel recept.* Nam plura ſunt quæ ſine conteſtatione admittuntur, nec egent ſuperflua probatione: & plura inutilia liti ſæpe proponuntur & excipiuntur, quæ iubet omitti Iudex, ne ſuperfluis ſumtibus oneret litigantes, *leg. non hoc, 9. C. vnde cog. leg. neque, 10. C. de probatio. cap. in præſentia, eod. apud Gregorium.* aut ne nimium horum prætextu iudicium differatur. Forma tamen alia, quando ſine litis conteſtatione negotium cognoſcitur, vt ſi ſummarium & poſſeſſorium ſit iudicium, ſine cõteſtatione & libello probationes fiunt & eduntur, & ſæpe ſine Iudicis auctoritate, & ex conuentione partium, *vide Bal. in l. diffamari, de ingen. manu.*

¶ † Et aduerſarius ſæpe non vocatur in probatione ad futurã 10
rei memoriam, quæ & fit ſine conteſtatione præcedente, *ca. quoniam, 5. §. ſunt & alii, vt lite non conteſta. &c.* vt neque vocatur aduerſarius, quando fit probatio ad inſtruendum Iudicem ſolum, puta ſi inquiſitio ex officio fiat in dubia partium probatione, vt notat Bald. in l. certum, in 2. col. ver. item oppono quod imo differant, vnde legit idem Bald. in l. ſi qua per calumniam, verſ. ſed poteſt, de epiſc. & cler. C. Addit. auth. atqui ſemel, de probat. C. formam, vt non fiat probatio poſt publicationem teſtium in iiſdem articulis, *cap. fraternitatis, & c. intimauit, 18. & c. cauſſam quæ,*

19. de

19.*de teſtib.ap.Greg.c.iurauit,de proba.c.cum Ioan.de fid.inſtru.*nec regulariter poſt concluſionem in cauſſa, vt tractat Iaſon in l. admonendi,num.50.& ſeq. pluribus,de iureiu.P.glo.in cle. ſæpe in verb.concluſionem, de verb.ſignif. Specul. in tit.de renuntia. & concluſio. in cauſſa.

¶ Probandi † onus ad eum pertinet qui aſſerit,vel allegat: ſiue
11 actor ſit,ſiue reus, *l.2.l.ab ea parte,* 5.*l.quidam,* 15.*l. verius,* 21.*l.eũ qui,*22.*de prob. P.* non ad eum qui negat, quia negantis nulla directa per rerum naturam probatio. *l.actor,* 23. *C. de proba.ca.quoniam contra,*11.*de proba.* Indirecta quanquam aliqua eſſe poſſit, *c. ex tenore, de teſtib.vide de his quæ not.per gl.in c.bonæ,de elect.*& negotiationis etiam iuris, *l.ab ea parte,*5.*de proba. P.* Actor in aſſertione exceptionum cenſetur, quod pertinet ad onus probandi, reus. *l.1.C.de proba.l.ſi pactum.*9.*l.quingenta,*12.*l.quoties,*18.§.1.*l.in exceptionibus,*19.*l.cum de indebito,*25.*eod.P.* Si tamen quis aſſerit ſe dominum alicuius rei eſſe quam poſſidet,poſſeſſio ſufficit pro intentionis ſuæ probatione, vt aliam tituli probationem non teneatur edere,& transfert onus probandi in aduerſarium dicentẽ eum non eſſe dominum, *l. circa eum,*14.*& l.quidam,*15.*eod. P. l.* 2. *& l.actor, C.eod.l.fi.C.de rei vin.l.cogi,C.de petit.her.*niſi forſan violenta ſit poſſeſſio, *l.vis eius,* 25.*C.de prob.*

¶ Finis † probationis eſt præcipuus,veritatis & eius quod di-
12 ctum eſt facere fidem & certitudinem. Et proinde illa debet eſſe, quæ directo concludat ea de quibus fiat: aliter vero non recipietur. *l.matrem tuam, & l.ad probationem,*21.*& l.ad probationem ſeruitutis,*22.*C.eo.l.liberos,in fin.de li.cau.C.l.*2.*C.de ingen.manum.* Et actore non probante reus abſoluetur, *l.qui accuſare,C.de eden. le. actor,C.de probat.cum ſimilib.* Neque regulariter onus probandi per penuriam probationis eius transfunditur in reum: niſi in paucis, de quibus monebit te gloſſ. & interpret.in l.actor, 23.C. de probation. ¶ Ratio † item vna neceſſitatis probationum,
13 a veritate indaganda per Iudicem deſumetur: quia nonniſi probata ſequi debeat, & non niſi de quibus appareat,iudicare poſſit, *l.illicitas.§.veritas,de offic.præſid. P. l.quidam, de rebus credi. l.*2.*C. de eden.l.*2.*de in int.reſt.c.iudicantem,*30 *q.*5.*c.occidit Phinees,*23.*q.* 8.maxime in criminibus,in quibus probationes debent eſſe luce meridiana clariores. *l.fi.C.de probat.*

14 ¶ Quare † ſi probant æque reus & actor, & teſtes, & aliæ probationes ſint æquipollentes, in dubium redit res, & in primum ſtatũ,vnde reus abſoluitur: niſi fauorabiliorem cauſſam actor foueat. *c.3.de probat.per rationem.l.Arrianus,de actio.P.& l.fauorabiliores,de reg.iur.c.inter dilectos, de fid. inſtrum.l. reſpiciendum, de pœn.* Pro rebus enim fauorabilibus,in dubiis iudicandum eſt,*c.fi. de re iud.*vt pro libertate, *d.c.*3.*de probat.l. antep. de manumiſſio. P. l.inter pares,de re iudic. P.l.libertas,de regul.iur.* in cauſſa inofficioſi teſtamenti, *l.ſi pars iudicantium, de inoffic. teſtam. P.* pro matrimonio, *cap.ſi quis acceperit,*33.*quæſt.*2. pro dote,*l.*1.*ſoluto matrim. P.* In cauſſis tamen criminalibus, raro concurſus probationum accidit, in quibus reus ad probandum negatiuam non admittitur, quamdiu poteſt actor ſeu accuſator probare. *ca.noſtram,* 12. *& ibi interp. de probat.* Non enim contra probationes inducitur purgatio canonica. Obſeruatur tamen,vt ſi dum auditur reus in crimine,aliqua vt dicunt facta vel caſus attenuantes vel reſtringẽtes delicti qualitatẽ,allegauerit, fiat de iis ſeorſum extractis probatio. Fit & ex officio iudicis, quando dubia vtrinque probatio
15 eſt,inquiſitio noua: vt de veritate habeatur certa notio.

¶ Hoc † obſeruato,vt ſemper interpretatio fiat in dubio contra producentem, *c.in præſentia, de probat.iuxta rationem l.veteribus,de pact.& l. quicquid adſtringenda,de verbor.oblig. P.* quamuis Decius, conſ.189.col. 7. in fi. videatur voluiſſe excipere cõfeſſionem dubiã,quæ explicanda ſit in fauorẽ confitentis, non contra.

16 ¶ Sed † & alia ratione, dicimus Iudicem non poſſe omittere neceſſarias probationes,vel eas prohibere: quod ſint de iure naturali,vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. *D. Matth.* 18.*c.nouit,de iudicib.* Et quemadmodum actiones & exceptiones Iudex tenetur admittere, vt ius cuiq; tribuat: ſic defendentibus vel aſſerentibus temere non debet aſſentiri,antequam conſtet an debeatur,vel an ſit ita vt aſſeritur vel negatur,quod non poteſt in dubio aliter apparere,quam per probationes. Alioquin crederetur vnicuiq; in cauſſa propria in præiudiciũ alterius: quod ne fiat vetant iura,& ne quis in propria cauſſa teſtetur,*l.omnib.*9.*C.de teſtib.*vel ius dicat.*l.1 ne quis in cau.prop.iud.C.l.qui iuriſdictioni præ-*
17 *eſt,de iuriſd.omn.iud.P.* ¶ Addunt interpretes, & in rebus pleni præiudicii, plenas exigi probationes, in aliis leues. *Bart.in l.*1.*§.fi. de præt.ſtip.idem & Alex.& Iaſ.in l.iudices,C.de iudi.*

## De Probationibus quibuſdam in ſpecie.

### Cap. 10.


1 *Aſpectus quomodo fiat probatio.*
2 *Monumentorum veterum ſcripturæ vel ſculpturæ an probent.*
3 *Ære leges & alia inſcripta ad perpetuam memoriam.*
4 *Monumentum quid.*
5 *Scripturæ ex ruderibus priuatis erutæ non probant.*
6 *Notoria probant, & quotuplicia illa.*
7 *Notorium iuris quid.*
8 *Notorium præſumtum quid.*
9 *Notoria quando, & vbi probanda.*
10 *Confeſſio quando probet ſpontanea.*
11 *Confeſſus in quo pro iudicato habeatur*


Explicatis in genere † probationum ſubſtantialibus, ſupereſt 1
vtq; modos quibus probatio elicitur indicemus breuiter. Eſt itaque in iure probandi receptus modus per aſpectum, quando videlicet res ſubiicitur oculis: vt ſi quando de pubertate, maxime in quæſtione matrimonii controuertatur, perſona inſpectione corporis probatur.*c.puberes,de ſponſal.impub.l.fin.C.quan.tuto.vel cura.eſſe deſi. C.* Item ſi cognitam vel incognitam a viro ſe dicat mulier,obſtetricum oculis & probationi ſubiicitur, *c. propoſuiſti, & c. cauſſam matrimonii,de probat.c.nec aliqua,* 17.*q.*1. additis etiam matribus familias probis mulieribus. *c.fraternitatis, de frigi. & malefic.* Si quæratur etiam,num mulier ſit prægnans. Nam & iſtæ obſtetrices probatiſſimæ artis & fidei, cum aliis mulieribus, inſpiciendi ventris cauſſa adhibentur. *l.1.de ven.inſpic.lib.*25.*P.ti.*5. Fiunt & locorum inſpectiones per ipſum iudicem, qui res controuerſas ſuis ſubiicit oculis, *l.ſi irruptione,fini.regund.P.*& ſecundum ea quæ vidit, iubet depingi ichnographiam vel topographiam, quam praxis vocare ſolet, *veue figure,ou monſtree.* Sunt & in aliis quæſtionibus de viſu probationes receptæ,vt in c.præterea, 27.de teſtib.c.literis, 12. & c.tertio, 13.de præſumt.

¶ Alia † ſpecies probationis, per monumentorum antiquo- 2
rum inſcriptiones,vel ſculpturas,ſi publico iudicio vel auctoritate factæ ſint: veluti ſi ϛῆλαι, *Plin.meminit lib.6.cap.29.* Græcis, vel cippi Latinis,publico decreto conſecrentur,vel pilæ cum inſcriptione ad perpetuam rei memoriam. His enim nomina proſcriptorum inſculpebantur, vt omnibus facilius aut diutius innoteſcerent: item & fœdera,vt colligitur ex Panegyrico Iſocratis,& ſępe de his meminit Demoſthenes.

¶ Nec † eſt qui neſciat,antiquitus leges Solonis axibus ligneis 3
inſcriptas, & Romanorum in ære 12.tabulis, vt Machabæorum lib.1.c.8. Romani reſcripſerunt Iudæis, in tabulis æreis, quas ad illos miſerunt,vt eſſent memoriale pacis & ſocietatis. Fuerunt & alia monumenta ita publice dicata, & conſtituta,quibus fides nõ eſt abroganda.

¶ Monumentum † dico quodcunque memoriæ retinendæ 4
cauſſa factum eſt. *l.2.§.Prætor,de relig. & ſumt.funer.P.* ¶ Reli- 5
quæ tamen ſculpturæ & inſcriptiones ex ruderibus vel aliis priuatorum monumentis erutæ,vel transſcriptę,auctoritatem probationis non habebunt, *l.monumentorum,eod.C.* non ſecus, quam ſcripturæ priuatæ. Et miror quoſdam iſtius ſeculi & anterioris, habitos doctos,quod nobis pleraque ſtultiſſima pro authenticis inculcent, quod ita in quibuſdam monumentis & ſepulcris vel tabellis, exaratum inuenerint: cum oportuiſſet illos prius nobis fidem facere,quod illi qui ſcripſerint,fuerint viri docti,vel publice probati, quod ita omnes eius temporis crederent, aut facerẽt: & quod iam antiquo illo tempore monumenta fuiſſent poſita fide publica. Idipſum licet conqueri, de quibuſdam manuſcriptis prototypis,vt aiunt,quæ & a tineis cõſeruata & vindicata ſe nuper inueniſſe autumant. Ex quorum, vt aiunt fide nihil non audent iam receptum corrumpere, & vt dicunt,emendare: imo impudenter auctoris nomen immutare. Quaſi vero non liceat cuique hoc modo in necem auctorum, noue ſe inueniſſe ſcripta antiqua cõfingere pro arbitrio, ſi ea temeritas,audacia, & ſuperbia admittatur. Et perinde ac ſi fieri non potuerit aliquem priuatum in ſuo ſcripto libro ex nutu, aliud nomen quam auctoris ſcripſiſſe, aut corrupte pleraque deſcripſiſſe, addidiſſe, vel minuiſſe. Sed miſſos faciamus iſtos reſtauratores nouos effoſſores ruderum ſomniorum ſuorum enarratores progrediamur ad certiores probationes.

¶ Per † notoria etiam tertio loco fit probatio. Alia autem illa 6
erunt, quæ nulla tergiuerſatione celari poſſunt aut diſſimulari. *c. cum olim,de verbo.ſign.vide gloſſ.in ca.manifeſta.*2.*quæſt.*1. Noto-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rium triplex eſt, facti, iuris, & præſumtionis. Notorium facti eſt, quod ſe offert oculis omnium, & quod non poteſt negari propter ſui euidentiam. Verum hic diſtinguo, factum aliquod eſſe, quod tale permaneat: aliud, quod aliquando tale, aliquando non tale & interpolatum ex vno ſtatu in alium tranſiens. Notorium facti permanentis eſt illud, quod non eget probatione alia, quam ſui ipſius: quia non poteſt legitime negari. *ca. tua nos, de cohabita. cler. & mulier. l. 3. §. idem diuus, de teſtib. P. c. quando de ſacris, de fil. preſbyter.* Neque in eo iudicando eſt opus ordine iudiciali, *d. c. quando eſt & c. cum ſit Romana, de appella. c. de manifeſta, & ca. quæ Lotharius, 2. q. 1. c. ad noſtram, de iureiur. l. ea quidem, C. de accuſa.* excepta ſententię cauſſa, pro qua ordo ſequendus iuris, etiam in notoriis. *c. 3. & ibi gl. de diuort.* Tripliciq; modo hoc notorium manifeſtumve iterum dicitur, nempe aut per ſententiã, aut per confeſſionem in iure factam, aut per rei euidentiam, *c. fin. de cohabit. cler. & mulier. gl. in c. quæſitum, per illum textum de tempo. ordina.* Quod ſi agamus de facto interpolato notorio, ei adhibẽda eſt ſemiplena probatio, vt in manifeſto vſurario: quem ſi præter famã publicam conſtiterit per alia argumenta eſſe vſurarium, in eum Iudex ſine accuſatore poteſt pœnam per Concilium Lateranenſe indictam ſtatuere. *c. cum in diœceſi, de vſur.* Porro facta notoria, quæ ſtatim tranſeunt & mutant ſtatum, egebunt probatione, quia negari poſſunt quæ fuerunt & non ſunt. *glo. in dict. c. de manifeſta, 2. q. 1.*

7 ¶ Notorium † iuris eſt, de quo quis eſt confeſſus & condemnatus. Quia res iudicata pro veritate habetur, *l. ingenuum, de ſta. ho. P. l. res iudicata, de regul. iur.* niſi dicamus & contra negantem ita iudicatum, requiri probationem, ſaltem ſententiæ, vel aliorum ad eum tantum finem, quod ita confeſſus ſit, vel ita iudicatum fuit, *c. ſicut. de ſen. & re iudic.*

8 ¶ Notorium † præſumtum erit, quando conſtanter ita quippiam tale eſſe præſumitur, quale dicitur, quod quis habetur pro filio alicuius, quia eum vocabat patrem, vel quia natus ex concubina apud illum domi retenta, *c. quoniam, & c. Michael. c. per tuas, de probat.* quia filiationis cauſſa, difficilis eſt probationis, *l. Lucius, de condit. & demon. P.* & ita ſemper pro matrimonio præſumitur, vt eius ſit filius qui maritus eſt, *l. filium, de iis qui ſunt ſui vel alie. iu. P.* neque etiam matri contrarium iuranti in morte credatur, *in l. pen. de probatio. P.* admittatur tamen interdum aliqua contraria probatio, vt liqueat ex Carboniano edicto.

9 ¶ Sed † & notandum, interdũ notoria non egere probatione, erga eum cui notoria & vbi notoria ſunt: ſed tamen, in aliis locis, vbi notoria non ſunt de notorio alibi exſiſtẽte, debet adferri probatio iudici. *glo. in c. ad noſtram, 21. ad ver. obſeruandis, de iureiur.*

10 ¶ Confeſſio † quoq; probat, in poſitionibus potiſſimum negatiuis, quæ vix aliunde poſſunt probari, quam per aduerſarii confeſſionem. *c. 1. de confeſſ. in 6.* Quare interrogatus, ſi contumaciter non reſpondet, habetur pro confeſſo, *d. c. 1. l. de ætate, §. qui tacuit, de interrog. actio.* cum diſtinctione l. de ætate, in §. nihil, & §. 1. & l. non alienum, de interrog. act. P. Et dummodo circumſtantiæ adſint, quas explicat gl. & interp. in l. 1. C. de confeſſ. lib. 7. tit. 50. videlicet, vt facta ſit a maiore 25. ann. *l. certum, §. fin. de confeſſ. li. 42. P. tit. 2.* mentis compote, *l. ſi non conuitii, de iniu. l. quicquid calore, de reg. iur.* ſponte, *l. 1. §. ſi quis vltro, & l. diuus, de quæſtio. P.* ſcienter, ſine errore, *c. fin. de confeſſis, l. error, de iur. & fact. ignor. l. non fatetur l. de ætate, §. fin. de interrog. act. P.* & a domino non a procuratore, *d. c. fin. de confeſſis.* aduerſario præſente, *l. certum, §. ſi quis abſente, eo. P. l. fin. de inter. actio. P.* contra ſe, & non in alium, *l. exemplo, C. de proba. l. de ætate, §. 1. de interr. actio. P. niſi aliter probetur pro ſe in c. 1. de confeſſis, l. ſi quis in graui, §. 1. ad Syllan. P. c. veniens de teſti. l. ſi ita, C. de accuſat. c. neganda, 3. q. 11.* de re litigioſa, *l. confeſſionibus, de interrog. act. P.* & coram ſuo iudice, *l. voluit, §. quod ait prætor, eod. c. at ſi clerici, de iudic.* cui non repugnet lex, *vt ſi confiteatur mulier, contra § fœmina, de adoptio. in fraudem creditorum, l. 2. quæ in frau. cre. P. l. ſi is cuius. in fin. de interrog. actio. P.* vel natura, *l. confeſſionibus, & l. ſi is cuius, eod.* vel fauor negotii, *l. vt contra libertatem. l. interrogatus, l. liberos, in 1. & 2. de lib. cauſ.*

11 ¶ Poſt quam † confeſſionem, ceſſant partes iudicis, præterquam in condemnando, *l. proinde, ad leg. Aquil. c. præterea, in 2. de tranſact.* Et confeſſus eo modo pro iudicato habetur, in eo quo confitetur. *l. 1. C. de confeſſ. l. 1. 2. 3. 4. eod. tit. P.* Ceterum, hæc de confeſſione ſpontanea intelligenda ſunt: de coacta & tortura paulo poſt Deo fauente, poſt præſumtiones agetur. Et de iuramenti probatione in poſtremo huius Syntagmatis libro.

## De præſumtionibus & ſuſpicionibus.

## Cap. 11.

1 *Præſumtio accedit notorio, & in quo differat.*
2 *Præſumtio quid. Eius diuiſio, in leuem, probabilem, & violentã. Temeraria & leuis vis, & quæ probatio. & num. 3.*
4 *Præſumtio probabilis quæ. Item violenta. num. 5.*
6 *Præſumtionum alia diuiſio, in affirmatiuas, negatiuas, de vero, aut veriſimili.*
7 *Præſumtionum probantium vel non probantium cauſſa vnde ſumantur.*
8 *Præſumtio a fama orta, cuius probationis.*
9 *Præſumtio a iure, iuris, & de iure, quæ, & cuius effectus.*
10 *Præſumtio tracta per iudicem.*
11 *Præſumtio ex quibus colligatur ad probationem.*
12 *Præſumere cuius ſit.*
13 *Præſumtionis finis, & rationes.*

Aliquando in iure † ſuſpicio & præſumtio alicuius facti, æquiparantur cum apparentia eiuſdem, vt in cap. dixit dominus, 32. q. 1. Verum reipſa minus eſt ſuſpicari, quam ſcire, vt ex Cicer. ad Atticum conſtat: *Non modo ſi quid ſcies, audieris, ſed etiam quid ſuſpicabere.* Et alibi, *Suſpicabar, vel potius intelligebam nihil eſſe.* 2 ¶ Suſpicio, † inquit Baldus, *in rub. de probation. & ad l. ea quidem, C. de accuſat.* eſt paſſio animi, nõ elicientis firmiter aliquam concluſionem. Præſumtio πρόληψις, ſententia præaſſumta, præueniens veram cognitionem, antequam de ea liquido conſtet. 1

3 ¶ Præſumtio † ſeu ſuſpicio triplex erit, leuis & temeraria vna, alia probabilis, alia violenta. *glo. in c. dixit dominus, 32. q. 1.* Temeraria & leuis illa, quæ ſine cauſſa vel ratione aliqua legitima, concipitur, opinio irrationabilis, *de qua & Bart. in l. admonendi de iureiur. P.* qualis ea quæ ſibi vindicat, quæ ſua non ſunt, *vt in c. nullus alterius, 9 q. 2. c. de viro, 12 q. 2.* quando ſe alterius qualitatis & conditionis arbitratur quã ſit. *c. præſumunt, 2 q. 7. c. inter cetera, 10. q. 3. Eccleſiaſti. c. 18.* Hæc autem ſuſpicio ſeu præſumtio nullam facit pro præſumente probationem, aut in eius vtilitatem, ſaltem cui adhærendum ſit: vt nec ſemiplenam faciat, *l. 3. §. ſi quis de minor. 25. an. & ibi glo. in ver. plenior.* nec ex tali ſuſpicione quiſpiam damnandus eſt, *l. abſentem, de pœn. P. l. ſi chirographum de probatio. P.* neque offerenti vel allegandi talem præſumtionem datur a iudice iuramentum in ſupplementum probationis. *d. l. 3. §. ſi quis de minor. l. non eſt, de eo quod met. cau.* Vani enim hominis metus, vel præſumtio non conſideratur. *l. metum autem vani, 6. & l. ſeq. de eo quod met. cau. P.* Suſpicioſi leuibus de cauſſis & falſo, valde pauperes, & plura confingentes: item meticuloſi, vecordes, ſenes, & iuuenes. Et

> *Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo*
> *Suſpicioſi, ad contumeliam omnia accipiunt magis. Terent. in Adelph.*

Item malaagentes, qui conſcientia ſcelerum torquentur. Sicque Cicero, 7. *in Verrem. Et te conſcientia tumidum, ſuſpicioſumq; faciebat.* Et pro Milone, de ea falſa ſuſpicione: *Ciues de Repub. optime meriti, in quibus homines res præclariſſimas obliuiſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.* καὶ χρόνος ὁ τῆς νυκτὸς ὑποψίαν ἐργάζεται, *Vlp. Sophiſta in enarrat. orationis Demoſthen. de falſa legatio.* id eſt, & tempus nocturnum ſuſpicionẽ mouet. Inuidi & peſſimi quoque de bonis plura mala ſuſpicantur, & horum etiam ſuſpiciones reiici iubet, cau. fina. q. 1. & alia iura. *c. omnes, §. 6. q. 1. ca. in cunctis, 11. q. 3.* 4 ¶ Probabilis † præſumtio eſt, quæ approbari facile poteſt aliqua legitima ratione, ſed non plene aperta & concludente: & proinde hæc cum alia ſemiplena probatione iuncta probat. *vt in l. fin. quod met. cau. P. c. illud, & c. adferte mihi gladium, de præſumt.* Per hanc præſumtionem & ſuſpicionem reiiciuntur iudices ſuſpecti, *l. apertiſſimi, C. de iudic.* Idem enim eſt facere ſuſpectum iudicem, ac lupum cuſtodem, *c. ſi. 4. q. 4.*

¶ Aperta, † & violẽta præſumtio eſt, quæ videtur habere cauſſas neceſſarias præcedentes: vt ſi quis inueniat vxorem prægnantem cum qua non concubuit, præſumtio eſt violenta eſſe adulteram: vel ſi anniculum cum redierit ex peregrinatione decennali in domo inuenerit. *l. filium eum definimus, de iis qui ſunt ſui vel alien. P.* Si mulier contra mariti prohibitionem inueniatur alloqui cum prohibito, in locis ſuſpectis, *§ fin. vt lic. matr. & auiæ, in auth.* Suſpicio neque violenta fornicationis, ſi videantur nudi ſimul, ſolique in ſecretis locis, horis electis. *ca. literis, 12. & cap. tertio loco, 13. de præſumt. ca. cum cauſſam, de probat.* Quo fit etiam, vt maritus 5

ritus ex ſola ſuſpicione adulterii accuſare poſſit vxorem: eo quod rei difficilis ſit probatio. *l.quamuis, 2.l.30.ad leg. Iul.de adult. C. d. c.dixit dominus, 32.q.1.*

6 ¶ Omnes † rurſum ſuſpiciones, vel ſunt affirmatiuæ, vel negatiuæ. Et rurſum omnis præſumtio, quæ fidem aliquam faciat, vel debet eſſe de vero, vel de veriſimili. Atque plene illa probabit, quæ eſt de his quæ conformia ſunt veritati. *Bart. in l. 2. de excuſ. tuto.P.* Earum vero quæ nullam habent veriſimilitudinem, nulla habebitur ratio. *Bald.in l.fin.in 2.colum. de here.inſtit.C. & in l.generaliter,7.quæſt.de non num.pec.C.& ad ru.de prob. apud Greg. Felin.c.quanto,num. 2.de præſumt.text.in c.quia veriſimile non eſt, de præſumpt.*

7 ¶ Procedunt † autem cauſſæ præſumtionis, vel ſuſpicionis, a natura rerum, perſonarum, negotiorum, a fama, a facto. In naturali cauſſa præſumtiones magis vrgent, quod immutabilem cauſſam habere videantur. *§.ſed naturalia, de iure natur. l. eas, de capi. diminut.* Hinc certa viſa eſt præſumtio maternæ probationis, in iudicio Salomonis, in puero intra duas matres diuidendo. *ca.afferte mihi gladium, de præſumt.* Et præſumtio eſt certa pro affectione parentum in liberos, vt nihil ſceleris contra illos moliri velle præſumantur. *l.conſilio, de cura. furio. l. nec in ea lege, ad leg. Iul. de adult.P. c.a nobis, de cohab.cler.c.interdixit, 32.diſtinct.ca.omnibus, 81.diſt.l.eum qui, de epiſc.& cler.C.* Admittit tamen in contrarium probationem, & ideo non probatio ſed præſumtio dicitur, quæ probatione falſa demonſtrari poſſit ex rei veritate. Sicuti, vt retineamus exemplum proximum, & degeneres inueniri poſſunt parentes, qui liberos occidunt, *titu. de his qui par. aut lib. occid. C. ad leg.Pompon.de parric.l.3.& 4.de inoffic.teſtam.P.* qui eis inſidiantur, qui eos non diligunt, *l.lex quæ tutores, de adminiſt.tuto.* C. ſic de ſimilibus. Verum illud habent præcipui iſtæ præſumtiones, vt tamdiu illis credatur, quamdiu de contrario fides vel probatio non e rit facta. *l.non omnes, §.a barbaris, de re milit.P.l.merito, pro ſoc.P.c. fin. de præſumt.* Sed & præſumtio vna per contrariam præſumtionem elidi poteſt. *l.cum de indebito, 25.de probat.c.cum in iuuentute, de præſumt.*

8 ¶ A fama, † cauſſa ſuſpicionis, vel bona vel mala oritur. In qua Iudex non conſtituit iudicium, ſed inquirit de ea, *c.cum non liceat, de accuſ.* quod latius docuimus lib. 32. huius Syntag.c.1.& 6. Nec fama per ſe ſufficit ad faciendam probationem. *cap. ſi teſtes omnes, §.ſæpe etiam, 4.q.3.* Cum aliis tamen adminiculis, aut alia ſemiplena probatione, vt vno teſte, in cauſſis ciuilibus non in criminalibus, probare poteſt, *gl.in d.§.ſæpe. & Panorm.in c.veniens.in 1. de teſtam.c.ſi mala fama, 2.q.5.* & niſi cum aliis adminiculis legitimis, *vt in c. illud, & ibi glo. ad verb.ſi fama, loci. de præſumt.c. cum cauſſam, de probatio.c.1.de appel.l.3.§.eiuſdem, de teſtib.* Probatur autē ipſa fama per duos teſtes. *in ca.tam in literis, de probat.*

9 ¶ A iure † vero ſeu a lege ſuſpiciones oriuntur, quarum aliæ iuris tantum: aliæ iuris & de iure dicuntur: de quibus, ſed paulo quam oporteret confuſius, meminit gl.in l.non eſt veriſimile, l. 23, de eo quod met.cau.P.in ver. *Præſumtioni.* Præſumtionem iuris dicimus, quæ æquitatem quandam habet. Ius enim eſt ars æqui & boni. *l.1.de iuſt.& iur.P.* Iuris vero & de iure, quæ æquitatem etiam habet, ſed vltra in corpore Iuris ſcripti continetur, & faciunt ambæ fidem. *Bald.ad rubr. de proba. apud Grego.* Felinus tradit præſumtionem iuris & de iure eſſe, quando ius in aliquo facto certum aliquid præſumit, & vltra præſumtionem illud firmat, & de eo ſtatuit. *Fel. in c.quanto, nu.3.de præſumt.& ibi Panor.* Vbi autem ius aliquid præſumit, ſed pro præſumtione non firmat, aut non ſtatuit pro ea, eſt præſumptio iuris tantum. *vt in c.is qui fidem, de ſponſal.* Lucas de Penna, ad l. quicunque, de apochis publi.lib.10.C.tradit, 180. præſumtiones, in quibus lex aliquid præſumit. Notant inſuper interpretes, regulariter non admitti probationem contra præſumtionem iuris & de iure. *vt in d. ca.is qui fidem, & l.fama, arbitr.tutelæ.* Felinus autem id explicat, & reſtringit ſex modis. *Fel.in d.c. quanto.* Ego tamen vnicam adiicio exceptionem, ſi veritas contra præſumtionem appareat. Nam puto contra omnes præſumtiones, & in quacunque parte litis, obiici poſſe rei veritatem, & illam manere præcipuam.

10 ¶ Procedit † aliquando & præſumtio ex ſententia & mente iudicis, extra iuris præſcripta, ſecundum ea quæ ei proponuntur, *l.in rebus, & ibi gl.ſingularis, C.de rebus cred. ca.ferrum de terra, 50. diſt.c.fraternitatis, de frigi.& maleſ. c.cum dilecta, de reſcript c.cum Bertoldus, de re iudi.* & ſic ex diuerſis animi motibus iudicat. *l. de minore.§.tormenta, de quæſtion.l.3.§.1. verſ.tu magis ſcire debes, de teſtib.P.*

¶ Ceterum † præſumtio probabilis, ſecundum media quædam, quibus veriſimiliter ducimur, ad veritatem vt plerumq; formari debet: vti, ex verbis dicemus animum elici & præſumi, *Bart. in l.Nezennius, per illum text.de verb.oblig.* vt non aliud quis dixiſſe cenſeatur, quam prius mente agitauerit, *l. Labeo, de ſuppel. leg.* Ex præteritis coniicimus & præſumimus futura, *c.mandato, 6.§.fi. & c.ſcriba eis, de præſumt.* Ex conſuetudine, voluntatem, *l. librorum, §.quod tamen Caſſius, de lega.2.* Ex præſentibus, alia non præſentia, *c.ex ſtudiis, de præſumt.* Et ſic de ſimilibus, de quibus vide Hoſtienſ.in ſumma, in tit.de præſcript.in 3.diuiſione. ¶ Præſumere † proprie dicitur eſſe, legis vel iudicis: vt perſuadere, aduocati: teſtari vel deponere, teſtis, ſecundum Baldum, in l.fiue, ad finem, de probatio. Præſumunt quoque & priuati, ſed illa præſumtio efficax non eſt in præiudicium vel vtilitatem alterius: quemadmodum legis vel iudicis. Nam & finis præſumtionis probantis, eſt releuare onus probandi. *Bald.in l.cum de indebito, & l.ei incumbit, de proba.P.* Oportuit autem præſumtiones, ſicut & alia indicia, admitti ad euincendam aliquam probationem eorum, quæ occulte & ſemotis arbitris teſtibus fiunt. Et vt leuius ſit onus probandi. *l.non omnes, §.a barbaris, de re mili.P.l.conſenſo.§.ſuper plagis, de repu.C.c.præterea, de teſtib.* Ne veritas, quæ exquiri omnimodo debet, pereat. *l.fin.C.de probat.* Inſtrui autem iudicis religio poteſt, ex pluribus iudiciis quæ ſuſpicionem inducunt. *l. indicia, de rei vindic.C.* 11 12

## De Tortura ſeu Quæſtione.

### Cap. 12.

Lib.48.P.tit.18. Lib.9 C.tit.41.

1 *Quæſtio generaliter quid, & quotuplex. Et num.2.*
3 *Quæſtionis varia tormenta. Et illa pro quibus inferantur, & a quibus ſtatuantur, num.4.& 5.*
6 *Indicia præcedere quare debeant torturam. Et quæ ſufficiant ad torturam. num.7.& 8.*
9 *Diuinorum indicia & accuſationes non probant, ſed puniuntur.*
10 *Iudicia plena. Et num.11.& ſeq.*
12 *Homicidæ miraculoſe detecti. Et num.13.14.15.16.17.18.19. & 20.*
21 *Indicia ſuper quibus quis eſt torquendus, an communicanda reo.*
22 *Torturæ dandæ qui intereſſe debeant. Et modus habendæ quæſtionis.num.24.*
23 *Ieiunus torquendus eſt.*
25 *Torturæ forma, qualitas, quantitas, modus, & interrogationes quo pacto fiant. Repetitio quando, & quoties facienda. nume. 26.& 27.*
28 *Torqueri quæ perſonæ nō poſſint iure ſcripto: & iure Gallico.item num.29.*
30 *Torturæ exhibendæ fines.*
31 *Tortura num ſufficientibus probationibus detur.*
32 *Tortura an detur pro detegendis ſociis criminis.*
33 *Torturæ rationes.*

PEr quæſtionem † ſeu torturam aut tormenta, fit etiam occultorum & ſine teſtibus geſtorum probatio, ex præſumtionibus quibuſdam, vt tortura videatur eſſe effectus præſumtionis, *l. fin. de quæſt.P.* Quæſtio generaliter dicitur, inquiſitio rei dubiæ: & non tantum tormenta cōtinet, ſed omnem inquiſitionem & defenſionem mortis, *l.1.§.quæſtionem autem, de Senatuſ. Sylla.* Gallice vocamus vulgo quæſtionē *la gehenne:* hæcq; manauit appellatio, a verbo Hebræorum גיהנם *gehinnon*, id eſt, vallis hinnon. Is erat locus iuxta Hieruſalem, vbi immunditiæ proiiciebantur & cadauera comburebantur. Dicunt & גיהנם gehennam, infernum locum mortuis deputatum. Erat hinnon locus ab eius domino ita dictus, vbi erat Idolum Moloch, cauum æreum, quo cōcludebantur pueri mactandi, & igne circumiecto necabantur: tympanis circa interim percuſſis, ne miſeri cruciati eiulatus audirentur, vt coniicies ex c.32.Hieremiæ, & 4. Reg.23. Inde noſtris *Schenne*, cruciatus moriturorum & ad mortem damnandorum. 1

¶ Quæſtio † duplex eſt, ciuilis & criminalis, hoc eſt, de ciuilibus negotiis, vel criminalibus. Quod facile erit diſtinguere ex his quæ in diſputationem incidunt. *c. intelligentia, de verb.ſignif.* Secundum vero communem tractationem quæſtio de criminibus intelligitur: & Iudex quæſtionis, is qui cognoſcit de crimine pu- 2

blico, *l. ad leg. Cornel. de ſicar.* & Quæſitor qui præeſt iudicio ca-
pitali: & tormentis, cogitque fateri reatus, vt apud Virgilium, 6.
*Æneid.*

*Gnoſius hæc Rhadamantus habet duriſſima regna,*
*Caſtigatq; auditq; dolos ſubitq; fateri,*
*Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani,*
*Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.*

Et proinde quæſtio in criminalibus dicitur, interrogatio & re-
ſponſio per tormenta facta. Et ita per quæſtionem intelligere de-
bemus tormenta ipſa, & corporis dolorem ad eruendam verita-
tem, & malam manſionem, *l. item apud Labeonem. 15. §. quæſtio-*
3 *nem, & §. quæſtionis, de iniur. P. ca. illi qui, 5. q. 5.* ¶ Sunt † enim tor-
mentorum ad eam rem variæ ſpecies, quas norunt quilibet iudi-
ces & pragmatici: vt mala manſio, numellæ, taxilli, mantilæ, pon-
dera & ſimilia, quæ torquendo corpus & dolorem incutiendo, &
tædio cogunt verum occultum tortos fateri. Quare & denegatio
victus inter tormenta eſt, *d. l. item apud, §. quæſtionem, de iniur. l. 2.*
*§. ſi quis autem, de vi & vi ar. l. nemo carcerem, de exact. trib. lib.* 10.
*C.* ferulæ iuuenibus adhibitæ, ad reuelandam veritatem. *l. fin. &*
*ibi glo. in ver. ſeruos, & ibi Bart. in 1. oppoſ. & Bald. de iis quib. vt in-*
*dig. vide l. de minore, de quæſt. P.*

4 ¶ De † criminibus quæſtio habetur, & pro his ſcrutandis. *l. 1.*
*eod.* Id tamen non ſemper, neque in omni cauſſa, nec in omni
perſona. Sed cum capitalia & atrociora maleficia aliter explorari
& inueſtigari non poſſunt. *Paul. in l. edictum. D. Aug. 8. eod. titu.*
Si de crimine maieſtatis agatur, vel fraudati cenſus, *c. quæſtionem,*
*12. q. 2.* pro veneficio, *l. 3. de q. C.* pro ſuppoſito partu, *l. ſuper ſtatu,*
*9. eod. C.* pro falſitate teſtamenti, *l. cum teſtamentum, eod.* pro re-
bus ab hereditate ſubtractis, *l. fin. eo. C. l. fin. §. licentia, C. de iure de-*
*lib. l. 1. de iureiurand. prop. calum. dan. C.* ſi teſtes vacillent, tam in
cauſſa ciuili quam criminali propter ſuſpicionem falſi, *§. ſi vero i-*
*gnoti, de teſtib. in auth. l. ex libero, 15. & l. vnius, 18. §. teſtes, de quæſt. P.*
*c. literas, de præſumt.* Regula autem poni poteſt pro criminibus,
in quibus pœna capitalis imponitur, torturam ſtatui poſſe. Sed
& propter mendacium quis torqueri poterit, *Roman. conſil.* 8.
*Bart. in l. fin. de quæſt. vide deci. Boerii, 163. nu. 21.* & pro furto. *Bart.*
*in l. fin. de quæſt. P.*

5 ¶ Quæſtiones † ſtatuuntur non a priuatis, ſed a iudice idoneo,
qui habeat notionem cauſſarum quę meri imperii dicuntur: nam
tortura ad pœnam eius eſt generis, *Bald. in l. ſi ea, de iis quibus vt*
*indign. C. per l. defenſores, de defenſor. ciuita. C.* vt per pedaneos iu-
dices imponi non poſſit. *Bart. in l. 3. de iurisd. omn. iud. P.* Neque
temere ad eam perueniendum eſt, ſed ordine conſtituto, vt non-
niſi prius certum ſit, maleficium fuiſſe cõmiſſum, ad torturã per-
ueniatur, *l. 1. §. item illud, ad Senat. Sylla. P. gloſſ. in ca. dilecti, de for.*
*compet. l. ſi quis, §. ceterum, ad leg. Corn. de falſ. l. 1. §. hac verba, ne vis*
*fiat ei. P.* quia delictũ eſt veluti præparatio pœnæ, *l. aliud eſt fraus,*
*de verb. ſig.* Dehinc aliqua indicia ſint, eaque vrgentia, quod qui
torquendus eſt, illud commiſerit, *l. 1. & fin. & l. vnius, §. in ea, de*
*quæſt. P. & l. milites, eod. C. conſtit. Caro. 5. Imper. de cauſ. capital. art.*
20. neque tortus aut confeſſus in quæſtione exhibita ſine indiciis
præcedentibus, ſibi præiudicat: etſi in confeſſione perſeuerauе-
rit. Quia a quæſtionibus iudicia criminalia non incipiunt, *l. diuus,*
*9. l. maritus, 20. & l. pen. de quæſt. P. l. milites, 8. C. eod. 1. 2. 3. ſi ex falſ.*
*inſtr. &c. C.* paucis exceptis, in quibus ſuſpicio & pręſumtio vehe-
mens eſt pro indiciis: vt quando torquentur ſerui pro criminibus
adulterii dominarum, *c. quæſtionem, 12. q.* aut ſi maritus dicatur v-
xorem occidiſſe, *l. vlt. ad leg. Corn. de ſica. C.* ſi agatur de occiſo do-
mino, vt liquet ex tit. ad Senatuſc. Syllania. Si certus ſit percuſſor
*l. penult. ad Syllania.* & in ſimilibus. Alioquin enim per ſe fallax i-
ſta torturæ probatio. Quod ex verbis conſtat Ciceronis pro P.
Sylla. *Quæſtiones,* inquit, *nobis ſeruorum ac tormenta minitatur, in*
*quibus quanquam nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gu-*
*bernat dolor, moderatur natura cuiuſq; tum animi tum corporis, re-*
*git quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot re-*
*bus & anguſtiis, nihil veritati loci relinquatur, &c.* Et ideo omni-
no ei non eſt fidendum. Nam plerique tanta patientia ſunt in tor-
mentis, vt ea contemnant, neq; per ea extorqueri ab iis veritas
poſſit ſeruantes apprime quę in aliis mandat Horatius, 1. *Epiſto.*
*lib. epiſt. 8. ad Lollium.*

*Arcanum neq; tu ſcrutaberis vllius vnquam.*
*Commiſſumq; teges, & vino tortus & ira.*

Nota Calani Indi in ſubeundo igne conſtantia, ſeu ſtulta immo-
bilitas. Omitto taciturnitatem in tormentis Harmodii & Ariſto-
nis, & alterius Theodori apud Liuium torti a Tyranno. Alii au-
tem tanta ſunt impatientia, vt malint in quouis mentiri, quã tor-
menta pati. Habes exemplum apud Valer. Maxim. *lib. 8. c. 4.* de M.
Agrii argentarii ſeruo. Quo fit, vt neque pertinaces, nec nimium
timidi vnquam vel vix verum fateantur. Et vt quidam, non tan-
tum ſe, ſed etiam alios falſo criminentur. *l. 1. §. ſi quis vltro, & §.*
*quæſtioni, & l. edictum, l. de minore, §. tormenta, de quæſt. P.* ¶ Ad-
denda † itaque ſunt indicia ante torturam, quæ cum ipſius con- 6
feſſione probabunt ſimul, † non autem ſeparatim tortura: aut in- 7
dicia etiam ſola per ſe, quia ex præſumtionibus ſolis nemo da-
mnandus eſt capitaliter, *l. abſentem, de pœn. P.* etſi ex indiciis indu-
bitabilibus plerumque ad mulctam pecuniariam fiat damnatio,
*Alex. conſ. 15. vol. 1. conſ. 116. vol. 3. Paul. Caſtren. conſil. 97. incip. viſa*
*inquiſitione.* Et ita puto intelligendum Bartolum, *in l. licet Impe-*
*rator, de leg.* 1. cum Saliceto, *in l. ea quidem, C. de accuſ. & in l. ſi quis,*
*per illum text. de adulte. in l. 3. ad leg. Iul. maieſt. P.* qui dicunt ex in-
dubitatis indiciis, aliquem capitali pœna damnari poſſe nõ ex du-
biis. *l. ſi famil. erciſcun. C.* Siquidem arbitror neminem capite da-
mnandum, niſi ex lucidis & indubiis probationibus, *l. fi. C. de pro-*
*bat. l. abſentem, de pœn. P. vbi ratio,* cõuicto vel confeſſo prius cum
illis reo, *l. qui ſententiam, 16. C. de pœn.* Sed & illud receptum ex in-
diciis ſi quædam pro reo, alia contra eundem facere poſſunt, ne-
minem ſubiici torturæ, ſed potius abſoluendum, *Hyppolit. in ſua*
*praxi, in ver. diligenter, num. 190. vide Boer. quæſt. 161. num. 10. vbi*
*ita iudicatum ait.* quia in obſcuris, & in pœnis, benignior ſenten-
tia ſequenda eſt, *l. ſemper in obſcuris, de regul. iur. P. cap. in pœnis,*
*eod. in 6.* & vna præſumtio aliam tollit, *l. cum de indebito, de proba.*
*P. l. diuus, de in integr. reſt.* Vt bona fama elidit indicium contra-
rium. *l. de minore, § plurium, de quæſt. P.* Sed & Felinus addit, ex-
tortam patris confeſſionem metu, ne torqueretur filius, non ei
nocere, in c. adferte, de præſumt. per rationem §. fi. de noxal. act. &
l. iſti quidem, quod met. cauſ. P.

¶ Indicia † porro quæ ſint ſufficientia ad torturam, non licet 8
omnino deſcribere, quia plerique arbitrio Iudicis examinantur.
Nam, vt ait Cicero, *6. Verr. Eſt boni iudicis paruis ex rebus*
*coniecturam facere vniuſcuiuſque, & cupiditatis & continentiæ præ-*
*ſumtionis, ſceleris patrati.* Indicia ab indicando dicta ſunt, demon-
ſtratiua ſigna veritatis latentis, vt in l. inſtrumenta, & l. fin. C. de
probatio. Signa certiſſima ſceleris Cicero quædam oſtendit. *idem*
*3. in Catilin. adde l. de minore, §. tormenta, de quæſt. Ac mihi quidem,*
inquit, *cum illa certiſſima viſa ſunt argumenta, atque indicia ſcele-*
*ris, tabellæ ſigna, manus, deniq; vniuſcuiuſq; confeſſio: tum multo cer-*
*tiora illa, calor oculi, vultus, taciturnitas: ſic enim conſtupuerant, ſic*
*enim terram intuebantur, ſic furtim inter ſe nonnunquam conſpicie-*
*bant, vt non ab aliis indicari, ſed ipſi a ſe viderentur.* Indicia maio-
ris certitudinis ſunt, quam præſumtiones ſimplices, vt ait gl. ff. 1.
in l. cum probatio, de probatio. Et quædam ad inquirendum con-
tra ſuſpectum inducere poſſunt iudicem, quæ tamen non ſunt i-
donea ad torquendum ſuſpectum.

¶ Carolus V. † Imperator, in conſtitutione de capitalibus cauſ- 9
ſis, art. 21. recte prohibuit, ne quis indiciis maleficiorum ſeu ma-
thematicorum, id eſt, eorum qui maleficis artibus prohibitis v-
tuntur, ac præſagiunt & diuinare præſumunt, vinciatur torquea-
turve, ſed potius huiuſmodi mathematici & accuſatores punian-
tur: quod cum iure ciuili conuenit. *l. item apud Labeonem, 15. §. ſi*
*quis Aſtrologus, de iniu. P. l. nemo, de mathem. C. c. 1. de ſortileg.* ¶ In-
dicia † autem alia plena videntur quibuſdam. Primo, fama, qua 10
circumfertur aliquem crimen commiſiſſe: ſed hæc non plene
probat, vt dictum eſt, per ſe, ſed cum aliis: quia plerunque ſpargi-
tur temere, vel ab inimicis falſo euulgatur, *vide Alcia lib. 1. Parerg.*
*c. 6. Quintil. lib. 5. c. 3. & decla. 18. Lucia. de calum.* Secundo, quod
crimen ſimile aliud ante quis commiſerit, *l. capitalium, § ſolent,*
*de pœn.* vel viſa fuerit illa perſona conuerſari cum ſuſpectis eiuſdẽ
ſceleris. Tertio, ſi illa perſona in locis ſuſpectis & periculoſis viſa
ſit. Quarto, ſi præceſſerint homicidium iniuriæ verbales, minæ
verberum prolatæ a ſuſpecto, *vide Boer. quæſtio. 163. & quæſt. 166.*
vel lis alia inter læſum & ſuſpectum, quia ſæpe ex ciuilibus ſolent
naſci criminales controuerſiæ. *l. properandum, de iud. C.* Quinto,
onerat ſuſpectum accuſatio cõſtans & iurata læſi, quanquam non
probet. *l. qui ſententiam, C. de pœn. l. ſi quis graui, §. 1. ad Senat.*
*Syllan.*

¶ Sexto † inducit ſuſpicionem & indicium, fuga ſuſpecti poſt 11
crimen admiſſum, & facit ſemiplenam probationem, *gloſſ. &*
*Bald. in l. admonendi, de iureiur. P.* Iuſque Saxonicum ait, haberi
fugientem pro confeſſo, *libro 2. iuris Saxonic. artic. 33. proba. §. ſu-*
*per hoc, de coll. in auth. l. 1. C. vt omnes iudic. tam ciuil. quam crim. &c.*

& dicunt,

& dicunt, fugam ſignum maleficii commiſſi eſſe, & indicium ſufficiens ad torturam. *§. ſi vero etiam quidam, de exhib. reis, in auth. l. conſiliario, de aſſeſſor. C.* Fuga tamen cum animo fugientis comparanda erit. *l. quis ſit fugitiuus, §. idem, de ædil. edi. P.* Plura de hac ſuſpicione fugæ vide apud Iulium Clarum lib. 5. §. fin. quæſt. 21. practic. criminal. Septimo, ſi quis viſus fuerit fugere cum gladio educto ſeu euaginato, ex loco vbi mortuus inuentus eſt: nam & hoc indicium ſufficit ad torturam. *Iaco. de Belloviſu, in tracta. criminalium tit. de quæſt. Bart. in l. fur eſt manifeſtus, per illum text. de fur. P. Bald. in l. neque natales, de probat. C. Paul. in l. fin. §. item quæro quæ dicantur indicia indubitata, eod. tit. C.* Octauo, ſi aliqua res ſuſpecti inueniatur in loco maleficii, puta vagina, gladius, calceus, vel aliud quippiam eius. *c. tua nos, §. fin. de homicid. Alberi. in l. indicia certa, C. de rei vindic. Boer. dec. 166. nu. 5.* Nono, conſcientia ſceleris cum quibuſdam indiciis ſuadet de occultis contra aliquem inquiri & exponi eundem quæſtioni. Sic Beſſus cum occidiſſet patrem, & nemo præter ipſum ſciret, cum iret cœnatum, perguIam accepit vt nidum hirundinum deturbaret: quod cum faceret, cur id faceret interrogatus, reſpondit, eo quod nimium diutius mentitæ eſſent, exprobrantes quod patrem occidiſſet: quo indicio tortus tandem faſſus eſt crimen, vt ait Plutarchus, *libr. de ſera numi. vind.* Conſcientia propria illi fuit criminis Iudex: cum conſcientia cogat plura etiam de ſe ſuſpicari, & plura dici de ſe putare, vel detegi, quæ aliter ſe habent: veluti ſorex ſuo iudicio periit.

13 ¶ Sic † narrat Procopius in hiſtoria Gothorum, Theodoricum cum occidiſſet Boetium & Symmachum ſocrum eius immerito, cum in menſa oblatum ei fuiſſet caput piſcis, ſibi perſuaſiſſe ſe videre caput Symmachi, atq; eius horrore in phreneſim incidiſſe:
14 vnde paulo poſt obiit. ¶ Caput † etiam ſacerdotis Iouis Hopploſmii in Caria locutum eſt, & detexit homicidam Cercida, qui an-
15 tea ignorabatur. *Ariſt. lib. 3. de part. animal. ca. 10.* ¶ Detexerunt † & indicarunt præter ordinem rerum Grues, Ibyci Rhegini ex Italia poetæ Lyrici interfectores. Is enim cum occideretur in ſolitudine aliqua a latronibus, & ſuperuolarent caſu Grues, illis dixit, illæ meæ vltrices erunt. At poſtea ignoto crimine per multũ tempus cum latrones latuiſſent, accidit vt vna in theatro ſedentes latrones cum præteruolantes Grues vidiſſent, dixerint, ἰδὲ αἱ ἰβύκου ἔκδικοι, id eſt, *en Ibyci vltrices*, Quæ verba cum quidam ex adſtantibus audiuiſſet, Magiſtratui indicauit, a quo capti tortique crimen confeſſi ſunt, & damnati. *Plutarch. in libello, de futili loquaci in epigram. græco, tit. Antiphaſa, ibi, ἰβύκε λνίςαι, &c.* Et ita vt ſcripſit Auſonius, *in moniſyllabis.*

*Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans Grus.*

16 ¶ Et † Archilochi poetæ interfectores arguit, & indicauit ipſe
17 Apollo Delphis. *Plin. lib. 7. c. 29.* ¶ Per † ſomnum etiam caupo homicida ſocii, ſocio in ſomnio detectus: ſcribit enim *Valerius Max. lib. 1. c. 7.* ex duobus ſociis Archadibus vnum nocte quadam ad cauponam declinaſſe, & cauponẽ trucidatum ſocio in ſomniis apparuiſſe, opem imploraſſe, tandemque obſecraſſe, vt qui vitæ ſuæ auxiliũ ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionẽ non denegaret. Corpus enim ſuum a caupone trucidatum, tum maxime ferri ad portam ſtercore coopertum: eum autem tam conſtantibus familiaris ſui precibus compulſum, protinus ad portam cucurriſſe, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendiſſe, cauponemque ad capitale ſupplicium adduxiſſe.
18 ¶ Pro † indicio certiſſimo etiam habitum eſt reſeratio & emiſſio ſanguinis occiſi & vulnerati, præſente homicida, vt alibi docui-
19 mus abunde, lib. 36. iſtius Syntagm. cap. 20. num. 9. ¶ Et † docet Valer. Marcius Marnienſis, lib. de doctrina promiſcua. cap. 21. per indicium ſortium iactatarum deprehenſos eſſe in delicto occulto Ionatam, *Reg. 14.* & Achan, *Ioſua 7. Prouerb. 16.* & Ionam, *Ionæ cap. 1.*

20 ¶ Refert † Plutarchus, *de comparat. terreſt. animal. & marino.* tria maleficia per anomala indicia detecta punita. Primum homicidii, quod detexit canis, qui cadauer domini interfecti ſeruabat, Pyrrho, cui cum adeſſet quietus, in aduenientes homicidas ſummo impetu inſurrexit, vnde comprehenſi, torti, ſcelus confeſſi ſunt & damnati. Addit & Heſiodi interfectores, a cane ipſius proditos, pœnas dediſſe. Et tertio, ſua memoria accidiſſe ait, vt canis dictus Capparus, templi Æſculapii cuſtos, cum vidiſſet neminem æditorum ſua voce commoueri, ſacrilegũ ſecutus eſt quocunq; profugeret, cibum eius recuſans, donec agnitus canis illum ſacrilegum detexit: qui comprehenſus, tortus, faſſus, pœnas luit. Refert de alio homicida a cane detecto in Epiro Plin. *lib. 8. c. 40.* Sũt & alia indicia apud interpretes declarata, quæ prætermitto: ne

longior ſim quam res poſtulet. ¶ Poſt † indicia vero perpenſa an 21
legitima ſint, & idonea ad torturam ſtatuendam, dubitatum eſt, num edere teneatur Iudex ſuſpecto capita indiciorum, vt reſpondeat. Et plures ſunt in hac parte ſententiæ, quas refert Iul. Clarus, lib. 5. ſent. iuris, §. fin. in pract. criminal. q. 64. num. 28. Et reſoluit opinionem communem eſſe, ſi petatur ei debere: ſin minus, poſſe ſine editione iudicem ad torturam peruenire. Sed vt video, in Gallia antequam ad ſententiam condemnationis torturæ perueniatur, melius fit, cum reus examinatur a iudice, vt reſpondeat libere quæ voluerit, viſiſq; reſponſionibus ex ſcripto ſtatuatur, nũ exceptiones aliquæ per illum opponantur, quæ præſumtiones & indicia contra illum facientia elidant, ſi probẽtur: & tunc ad probandum releuantia ante torturæ mentionem admittatur. At ſi nihil quod releuet deducatur, vel ſi nihil probetur, remanẽtibus vrgentibus indiciis, ad ſententiam & exſecutionem torturæ perueniendum eſt: niſi prouocatio fiat, quæ exſecutionem differt, *l. 2. de appellat. recipi. & ibi interpr. Guido Pap. deciſ. 74.* cum eius exſecutio non ſit reparabilis: vt merito vetitum ſit ipſis Iudicibus inferioribus, poſt appellationem etiam præſentare ſeu exhibere reis torturam. *Bald. ad d. l. 2. & ad l. generaliter, §. ſed iuramento, 2. col. verſ. ſed quid ſi eſt talis.* Si tamen appellatum non fuerit, antequam torquendus alligetur, ſed tunc tantum: non obſtãte prouocatione ad torturam proceditur, vt placuit curiæ ſupremæ Pariſienſi. *refert Pap. lib. 24. rhapſo. areſto. titu. 9. areſt. 13.* Sed & in iudiciis criminalibus, in quibus non admittitur appellatio, vt ſi coram latrunculatore fiat diſcuſſio erronis, vel alterius criminis cui non eſt remedium appellationis conceſſum, non obſtante ea ad
torturam peruenitur. ¶ Et † tunc reus præſente regio procura- 22
tore regioque patrono, necnon iudice eiuſque actuario, duobus etiam cauſſidicis, apparitoribuſque vocatis torquebitur. *Imbert. lib. 3. inſtitu. foren.* Iure ciuili interdum admittebantur accuſatores, & ſocii criminum, *l. 1. §. 1. de cuſto. reor. lib. 9. C.* aliquando aduocati & procuratores reorum, *l. ſi poſtulauerit, §. quæſtioni, ad leg. Iul. de adult. P.* Sed abiit vtrumque merito in deſuetudinem, propter fraudes, quas aduocati & procuratores præſentes poſſent committere. *Alberi. in ru. de quæſtion. in fin. Ang. ad l. cuſtodias, de quib. ind. P.* Et certe quidam videtur eſſe abuſus, vt procuratores & aduocati Regis, qui vices agunt aduerſarii & accuſatoris in cri-
minibus, interſint tormentis. ¶ Ieiunus † ad torturam ducendus 23
eſt, qui ſaltem non comederit per decem præcedentes horas. *Iul.*
*Clarus, præd. quæſt. 69. §. fin. num. 39. vbi citat auctores.* ¶ Modus † 24
per iudicem definitus & gradus torturæ ſequendus, qui ſtatuit pro modo indiciorum. Nam pro indiciis non ſufficientibus, vel imperfectis, vt puta pro vno teſte de viſu non maiore omni exceptione, vel pro duobus loquentibus ſingulariter de diuerſis ſeparatim indiciis, non ſtatuet plenam torturam, vel eculeum: ſed leuem, vel metum torturæ, vel exhibitionem. Putant enim eſſe gradus torturæ quinque. Primo, minas de torquendo. Secundo, conductionem ad locum tormentorum. Tertio, ſpoliationem & ligaturam: nam hæc metum incutiunt, & habẽtur pro ſpecie torturæ, *Bald. in l. interpoſitas, de tranſ. C.* quamuis certe non vere in his ſit tortura, & eo metu confeſſio voluntarie non metu facta dicatur. Quarto, eleuatio in eculeo. Quinto, ſucceſſio per funem & lapſum, *modus vſitatus adhibitis ponderibus interdum pedibus rei, videtur de ea loqui, l. nullus ad l. Iul. maieſt. C.* In ligatura adhibent quidam taxillos, & hoc dicitur moderatio torturæ, quæ non permittitur omnibus iudicibus. E veſtigio autem ſententiæ torturæ dicta quæſtionis inſtrumenta explicabuntur, iiſque reus excruciabitur, *vide conſtitut. Ludo. 12. art. 112. & 113.* antequam ad alios actus Iudex & conſilium diuertant: niſi forte nox, aut iuſta quæpiam cauſſa in poſterum diem cogat negotium reiiciendum. Interim tamen ſummo ſilentio ſententia premenda, ne detur reo appellandi vel reſponſiones falſo texendi occaſio.

¶ Torturæ † autem qualitas & quantitas ſtatuetur ſecundum 25
morem regionum, nullis adhibitis nouis tormenti generibus, quæ magis ad carnifices immanes, ad Phalarydem vel Peryllum quendam, quam ad Chriſtianos iudices pertinent. *varias ſpecies tormentorum enumerat Marſ. in l. 1. num. 27. de quæſtio.* Quare merito rei ſunt delicti & necis, ſi modum excedant conſuetum. Ita enim quæſtionem haberi oportet, vt tortus ſaluus ſit, vel innocentia vel ſupplicio. *l. quæſtionis, 7. de quæſtio. vide quando iudex accuſetur, vel ex culpa, vel exceſſu torturæ. Barto. in illa lege. Bello, conſil. 84. num. 12. Iul. Clarus, vbi ſupra, num. 37.* Subinde actuarius, iudice verbis præeunte, notis mandabit tormenti genus, quantuſque illis fuerit impetus, quotieſque inflictus, qua fronte,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conſtantia, duritiave illum ſuſtinuerit: quæ ante cruciatum, in ipſo cruciatu, & poſtea ſtatim reſponderit. *l. de minore, §. tormenta, de quæſt. P.* Tortura namque peracta, reſponſa ad iudicium reducuntur, num vel ex confeſſione firmentur indicia, & ſufficiant ad condemnationem: an vero negatione purgata cenſeantur, & ſufficiant ad abſolutionem, vel totalem, vel a pœna corporali.

26 ¶ Quando † quis confeſſus eſt in tortura, non ſtatim illa confeſſio probationem facit, niſi reus ratificet eandem a tortura remotus in iuris auditorio, *Boer. deciſ. 163. num. 18. Panorm. in c. cum in contemplatione, num. 17. de reg. iur. & ibi Io. Andre.* idque expreſſe apud acta extra carceres & tormenta. Atque illa ratificatio non ſtatim poſt torturam fieri debet, aut exquiri, ſed poſt lapſum ſaltem vnius diei: ne metus tormentorum adhuc recens, qui mentem interdum turbat, perſeueret. Et in hoc arguendi ſunt præcipites iudices, qui nimia acceleratione cogũt quodammodo, quæ vera non ſunt ſæpe fateri. *vide Ange. in l. 1. de cuſto. reo. C. Bart. in l. 1. §. diuus Seuerus, de quæſtio. P. num. 3.* Quod ſi in auditorio iuris neget, & reuocet quæ faſſus eſt in quæſtione, repeti debent tormenta, *Bart. in l. vnius, §. reus, eod. Boſſius de tortura, num 34. qui ita in praxi ſeruari ait, & Simancas, de hæreti. c. 63. num. 43.* tanquam ex indicio confeſſionis nouo: ſicuti ex nouis indiciis repeti poteſt tortura. *l. repeti, 16. & l. vnius, 18. §. 1. de quæſtio. P. l. & ſi certus, ad Syllania. P.* Sed ſi poſt repetitionem perſeueret coram iudice negatiua extra tormenta, ſine nouis indiciis denuo quæſtio repeti nequibit poſt tertiam torturam, ne in infinitum procedatur ad tormenta: ſed erit abſoluendus, ſi conuictus aliunde nõ ſit. Quod ſi in tormentis conſtanter neget reus, videtur purgaſſe indicia, *Alberic. in rub. de quæſtio. C. num. 9. & ad l. 2. num. 2. eo. P. Boer. deci. 163. num. 12.* & eſt ſub fideiuſſore ſaltem relaxandus, *Marſil. in l. repeti. de quæſtio. P. num. 24.* Et hæc eſt communis praxis, quamuis Gomez, c. 13. delict. num. 19. dicat diffinitiue abſoluẽdum. Quod Gallia non ſeruat, ſed ibi ſtatuunt ex conſuetudine iudices, non liquere: *Qu'il ſera plus amplement enquis. Cependant eslargi, a la charge de ſe repreſenter ſi beſoin eſt.* Aliquando etiam ſi indicia plene purgata non ſint, ſtatuuntur pro modo delicti & indiciorum, leuiores pœnæ quam pro crimine probato debeantur, vel ad remos, vel ad pœnam pecuniariam. Repetitio fit torturæ, ſi videatur eſſe opus iudici ex cauſſa, vel quia leuiter tortus primum fuit, vt iterum ſufficienter torqueatur: dummodo in prima tortura ſit proteſtatus iudex, quod eum iubeat a tortura deponi, vt iterum torqueatur: & ita dicat cum deponitur, iudex, ſe iubere animo repetendi. Si tamen ſufficienter ſemel tortus fuerit, & nihil confeſſus fuerit, non poteſt ſine nouis indiciis repeti, vt tractant Dyn. & alii in l. repetendi, de quæſtio. Alber. in rubr. C. de quæſtionib. Alexand. conſil. 5. num. 4. volum. 1. Bartolus tamen in l. vnius, §. reus, num. 2. teſtatur conſuetudinem in praxi ſeruari, vt etiam repeti poſſit hic tortura. Sed ego deſiderarem iudicium hic maturum iudicis & arbitrium, expenſis circumſtantiis & indiciis vrgentibus criminum, ne temere fiat repetitio. Et melius fieret, ſi leui tortura primum tentarent, num poſſent extorquere verum a reis: poſtquam, ſi contemtu tormentorum videant pertinaciam aut magis indicia colorari, non alienum eſt a iuſtitia durius illos torquere iterum, iuxta præcedẽtia indicia ſi vrgeant valde. Multum autem iuuabit iudicem in hac tormentorum quæſtione abſoluenda, quomodo reus antea vixerit, & in qua opinione habitus fuerit, conſiderare. *d. l. de minore, §. tormenta, & l. non omnes, §. a barbaris, de re milit. P. l. tutor quoque, §. quæritur, de ſuſp. tutor. ca. cum in iuuentute, præſumt.*

27 ¶ De † die vero torturæ inferendæ, in grauioribus ſceleribus quæ notionis accelerationem deſiderant, non dubitatur quin feſtiuo quoque fieri poſſit: in aliis, minime. *l. 3. C. de quæſtio.* Quomodo autem interrogatio generalis eſſe debet non in indiuiduo, docet l. 1. §. qui quæſtionem habiturus, de quæſtion. P. Et quod incipiatur a timidiore, l. 18. eod. Et hæc intelligi par eſt, de perſonis quæ torqueri poſſunt.

28 ¶ Porro † iure omnes torqueri poſſunt in caſibus, vbi tormenta recte cum ſufficientibus indiciis ſtatuuntur, & liberi & ſerui, viri & mulieres. *l. nemo, C. de epiſc. audien.* Excipiuntur autem iure ſcripto, in dignitate aliqua poſiti, illuſtres, & eorum progenies, nepotes, & pronepotes, *l. diuo Marco, 11. C. de quæſtio.* decuriones: niſi in crimine maieſtatis, *l. decuriones, 16. & ſeq. eod. l. omnes iudices, de decurio. lib. 10. C.* innocentes, *l. penult. eod. C.* milites, *l. milites, eod.* Doctores, *Cynus ad l. milites, C. de quæſtio. & in l. 4. ad leg. Iul. maieſtat. C ita ſeruari in ducatu Mediolanenſi tradit Clarus, lib. 5. § fin. quæſt. 6. num. 16.* Clerici, niſi infames, *Panormi. in ca. cum in contemplatione, de regul. iur.* ſenex decrepitæ ætatis. *Tiraquell. tracta. de pœn. temperan. cauſſa 8. l. 3. §. ignoſcitur, ad Syllan. P.* Verendum enim ne in tortura deficiat, & ſubtrahatur ita iudicio: ſeruus aduerſus dominum, paucis exceptis, de quibus in l. 1. 6. & 7. C. de quæſtio. l. 3. & 50. eod. tit. P. nec aduerſus tutores vel matres domini ſui, l. 2. C. eod. non liberi famuli aduerſus dominos, l. 1. §. ſi ſeruus, eod. P. Nobiles, *l. nullus, C. ad leg. Iul. maieſta.* minores quatuordecim annorum, excepto crimine læſæ maieſtatis, *l. de minore, 10. l. ex libero, 15. §. 1. de quæſtio. P.* in quo torquentur: in aliis vero, loris, vel ferula, vel virgis poſſunt terreri: item mulier pręgnans, *l. prægnantis, de pœn. P.* ſed & de lactantibus, placuit Senatui Mediolanenſi, 11. Maii 1557. quandam felicitatem, teſtem quæ puerum lactabat non eſſe torquendam, vt refert Iulius Clarus, *præ. q. 64. num. 25.* Item excipitur & qui de ſe confeſſus eſt, ne in caput aliud torqueretur. *l. repeti. §. 1. de quæſtio. P. l. 4. C. eod.* Sunt & aliæ perſonæ iure a tormentorum examine exemtæ.

¶ At † in Gallia, promiſcue omnes cuiuſcunque dignitatis & 29
nobilitatis ſint, cum luculentioribus delicti indiciis torquentur: ſi indicia duorum idoneorum teſtium fide conſtẽt, vt ait Imbertus lib. 3. Inſtitut. forenſ. & alii. *teſtatur Guillelm. Benedict. ad ver. mortuo itaq; teſtatore, num. 222. Tiraquell. de vera nobilit. c. 10. nu. 134. Aufrer. in ſtylo parlamen. c. 19.* Cenſeo tamen, & mulieres prægnantes, aut nimium iuuenes, & decrepitos, excipiendos. Verum aliquando ſi maximum ſit ſcelus, num terreri vel exhibitione tormentorum debeant, & ſi indicia concludant, Iudex vir bonus ipſe diſpiciet. ¶ Fines † torturæ ſunt, pœna, indagatioque 30
veritatis. Interdum enim tormenta ſtatuuntur ad pœnam criminis, cum in vinculis vel numellis quis continetur, vel in hypogeis, quæ vocant *Infernet*, concluditur. Item dum ſucceſſione addicitur, quã vocant *L'eſtrapade*, vel ſi in mala manſione extenditur ob maleficia, aut ſi legatur. *vt in l. ſi hominem, 7. depoſi. l. item apud Labeonem, §. quæſtionis, verbo. de iniur. P.* Poſſemus & ad pœnam referre tormenta fuſtigationis, verberum, & ſimilia, de quibus in pœnis criminum dictum: & de hac tortura hic non agitur, ſed de ea quæ irrogatur ad veritatem eruendam in defectum probationum.

¶ Nam iudex qui plenas probationes habet eius quod inter- 31
rogat reum torquendum, peccat mortaliter, ſi eum ſubiiciat torturæ. Sed & is qui inſtat, dictus *partie ciuile*, temere accuſans, ex cuius accuſatione ſubiicitur quæſtioni reus, ſi nihil reus in tortura confeſſus fuerit, actionibus de calumnia conueniri & accuſari poteſt, per abſolutum reum, ex conſtitutio. Franciſ. I. ann. 1539. arti. 84. Solent tamen conuictum de crimine negantem iudices communi practica ſubiicere quęſtioni, ad pleniſſimam probationem, vt ipſe ſuo ore confiteatur, etiam eo colore adhibito, vt de ſociis velint eum interrogare. Et ita ſeruari in Gallia video. In Italia quoque, quod pluribus Doctorum ſententiis probat Iul. Clarus, §. fin. lib. 5. in practica crimin. quæſt. 64. nume. 7. Papus & ita
iudicari ait, lib. 24. Rhapſod areſt. tit. 9. areſt. 1. ¶ Et † quamuis 32
iure communi quis non debeat interrogari de ſociis delicti, nec pro illis detegendis torqueri, *l. repeti, de quæſt. P. l. fin. C. de accuſa.* tamen aliud ſeruatur in praxi communi, *idque glo. ait, in l. non ideo minus, & ibi Bald. de accuſat. C.* Quare & qui mandato alterius occidit, poteſt torqueri ſuper eo qui mandauit, & fur pro ſociis furti. *Bart. in d. l. repeti. de quæſtio. Franc. Areti. conſil. 61. incip. in cauſſa illorum, de Manſio.* Ratio autem potior torturæ inferendæ, quia intereſt Reipubl. delicta manifeſta eſſe & detegi, vt puniantur. *l. eum qui nocentem, de iniur. P. l. ita vulneratus, ad leg. Aquil. P.* Atque ita more maiorum inductum eſt, vt delicta quæ clam committuntur ſemotis teſtibus per tormenta appareant. *Cic. in Part. orato. Iul. Paul. lib. 5. recep. ſent. lib. 14. & 16.* Inuenta namque tortura in defectum probationum. *Andre. de Iſernia, ad ca. 1. §. inſuper, colum. 1. de content. int. domi. & fidel. in vſibus feud.* Sed & tortura purgationis inſtar accuſato, vt ſupra diximus.

## De Teſtibus. Cap. 13.

Lib. 22. P. tit. 5. lib. 4. C. tit. 20. lib. 2. Decret. tit. 20. & 21. Lib. 2. Sex. tit. 10. Lib. 2. Clem. tit. 8,

1 *Teſtes qui dicantur, & vnde, & quid teſtimonium.*
2 *Teſtium alii idonei, alii non, eorum ſpecies.*
3 *Teſtimonium de quibus feratur.*
4 *Teſtes quando dicuntur idonei, & primum vocandi a iudice.*
5 *Teſtimonium ferre poſſunt qui non prohibentur nominatim, & qui prohibentur. & ſeq.*

6 Teſtis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

6 *Teſtis vnus in quibus probet.*
*In criminalibus nec ſemiplene.nu.7.*
8 *Fama quando faciat plenam probationem.*
9 *Probatio plena duobus ad minus teſtibus conſtat.*
10 *Teſtes plures quam duos quæ neceſſario requirant.*
11 *Teſtes domeſtici non probant pro domeſticis, nec contra. numero 12.*
13 *Teſtes mutuo qui ex Iudæorum præſcripto eſſe ſibi nequeant.*
14 *Vxor an ſubdita viro, & quando cogatur contra maritum teſtari.num.15.*
16 *Sponſa an poſſit pro ſponſo vel contra teſtari.*
17 *Domeſticus teſtis quando probat cum alio omni exceptione maiore.& nu.19.*
18 *Teſtes domeſtici in inſtrumentis adhiberi poſſunt.*
20 *Teſtes affidati quando probent contra obiicientem.*
21 *Teſtes plures de vna domo in alieno negotio eſſe poſſunt, & pater in filii teſtamento, & contra quare.*
22 *Domeſtica domeſticis teſtibus probari poſſunt. & nu.23.*
24 *Teſtes pretio redemti non probant & reiiciuntur.*
*Item pauperes.nu.25.*
26 *Teſtimonium potentiorum contra tenues ſuſpectum, eiusque qui habet ſimilem cauſſam,nu.27.*
28 *Mulieres an teſtes idoneæ.*
29 *Laicus contra laicum quando teſtimonium dicat.*
30 *Teſtes reiiciuntur per exceptionem & obiectionem criminum, quomodo.*
31 *Teſtis pro vtraque parte dicere non poteſt teſtimonium.*
32 *Teſtis in ſua cauſſa nemo.*
*An in cauſſis communibus & vniuerſitatis.nu.33.*
34 *Inimicus non eſt idoneus teſtis, & quales debeant eſſe inimicitiæ.*
35 *Teſtimonium qui in ſumma dicere non poſſunt.*
36 *Teſtium producendorum & examinandorum forma.*
37 *Teſtes in iudicialibus negotiis citandi, & ſi nõ veniant, coguntur venire: qui autem non cogantur.nu.38.*
39 *Teſtes in iudicium vocari debent teſtimonii cauſſa, & quando non citandi.*
40 *Examen de futuro, & ad futuram rei memoriam, quãdo & quomodo fieri debeat.nu.41.*
42 *Teſtes non examinantur, niſi iurati.*
43 *Teſtium examinationi vel iurationi facienda vocatus quid & quomodo proteſtari debeat.*
44 *Teſtes plus quam decem pro vno probando articulo non ſunt admittendi.*
45 *Teſtibus relegi neceſſario debent depoſita.*
46 *Teſtium examinatio cuius ſumtibus fiat, & quando poſt concluſionem.*
47 *Teſtibus vtrinq; a litigantibus pro ſe productis & probationibus, quid Iudici ſtatuendum ſit.*
48 *Teſtis dubie deponens iterum examinandus, & an examinatus ab vno Iudice, coram alio examinari debeat.nu.ſeq.*
49 *Teſtium finis probatio Rationes nu.50.*
51 *Probatio teſtium num præſtet probationi inſtrumentorum.*
52 *Falſitas inſtrumenti per teſtes ſuos euincitur.*
53 *Teſtes falſi quomodo puniendi.*

1 INter † probationes legitimas, vtilitas teſtium annumeranda
eſt, dummodo illi adhibeantur negotiis ſecundum naturam il-
lorũ, idonei, & iuxta legum requiſita ſolemnia. Teſtes dicuntur
quaſi ſuperſtites, vel antiſtites, *l.forus, de ver.ſig. Alcia.li.2.parerg.
c.2.* qui ſtant dictis vel factis. Et ita teſtari, eſt fidem facere per te-
ſtes, qui adfuerunt aliquo ſenſu: puta, viſu, auditu, præſentia, vel a-
lio modo legitimo. Frequens nomen apud omnes, teſtari, pro te-
ſtimonium dicere, vel mẽtem ſuam exponere, vel aſſeuerare quæ
quis ſentit, Iulius Pollux lib.8.Onomaſt. *Teſtimonium,* inquit, *di-
citur, cum quis oculatus teſtis teſtatur: conteſtatio, cum quis a viden
te ſe audiſſe dicit: contra falſos teſtes iudicium exſtat. Eum qui teſta
mentum negabat obteſtabantur, teſtamenti neceſſitatem proponentes.
Cogebantur autem vel teſtari, vel ſe non vidiſſe iurare, aut non inter-
fuiſſe, aut mille drachmas perſoluere. Obteſtari autem eſt in teſtimo-
niũ vocare, ſed ἐκμαρτυρεῖσθαι eſt, reum fieri de mille drachmarum per-*
2 *ſolutione.* In his protritis non immoror. ¶ Teſtes, † vel ſunt legiti
mi ſeu idonei, alii non idonei, vtraq; ſpecies plures circumſtãtias
admittit, vnde teſtes recipiũt quaſdã proprias appellationes, quas
cognoſces in progreſſu explicationis. Nam ex idoneis, quidã di-
cuntur aſſidui in l.12.tab.id eſt, locupletes, *Aul.Gell.lib.16. Noct.
Atti.c.10.* alii claſſici, qui teſtamentis adhibentur, *Sex.Pompe.Fe-
ſtus, lib.de verb.ſign. in ver. claſſici.* alii omni exceptione maiores,
&c. & inter non idoneos, tot ſunt appellationes, quot ſunt fere
cauſſæ ex quib. reiiciuntur, vt domeſtici, familiares viles, redemti,
ſeu conducti, &c. ¶ De † omnibus teſtimonia ferri poſſunt & exi- 3
gi, tam ciuilibus quam criminalibus negotiis, *l.1.de teſt.P.* iudicia-
libus, & quæ extra iudicium fiunt & priuatim, & publice. Et hæc
notiora ſunt, quam egeant demonſtratione. Vis autem iſtius pro-
bationis conſiſtit in reliquis, vt ſciamus a quibus teſtimonium le-
gitimũ, & illegitimum feratur: & quemadmodum teſtari debeãt,
effectus & cauſſas teſtimonii. ¶ Teſtes † idonei dicentur proba- 4
tionis gratia qui teſtimoniũ ferre poſſunt, & qui teſtantur quem-
admodum oportet. Vocari namq; in primis debent ab eo qui te-
ſtib. examinandis præpoſitus eſt, nempe a Iudice vel ab eius dele-
gato, cui collega iungitur vt plerunq; quem vocant *adioinct*, ex
conſenſu litigantium electus, vel in contumaciam aduerſarii vo-
cari eã ob cauſſam, ex officio eſt datus nec recuſatus, quod te do-
cebit fuſe Imbertus lib.1. Inſtitut. forenſ. & conſtitutio Philippi
Pulcri, item & §.& quoniam ſancimus, de teſtib.in auth. Fel.in c.
cum cauſſam, 1.eod.tit. Paul.Caſtr.ad l.Iudices, de fid.inſtrum.C.
Collega autem Iudicis vel delegati ſine ſuſpicione eſſe debet, ne-
que proximus Iudicis, vel delegati, ne vna colludere poſſint: de-
betq; cum aſſumitur, ſacramento ſe obſtringere, non reuelaturũ
teſtificata: item erit vir diſcretus, cap.ſi qui teſtium, 8.de teſtib. In
quibus negotiis Iudex teſtium examinationem cõmittere poſſit,
& cui, vide l. Iudices, & auth. apud eloquentiſſimum, de fid. in-
ſtrum.§.hæc omnia, & §.quoniam, de teſtib.in auth.
¶ Ferre † vero poſſunt teſtimonium, qui non prohibentur no- 5
minatim, quare opus eſt noſſe qui prohibeantur a dictione teſti-
monii, *enumerat cauſſas reiectionis aliquas, c.teſtes, 4.q.3.* Nos quoſ-
dam indicabimus, & eorum qualitates ex quibus reiiciantur. Pri-
mum ergo non faciunt fidem ſingulares teſtes, qui de diuerſis cõ-
feſſionibus factis, aut temporibus ſeparatim deponunt, & teſtan-
tur, *c.licet cauſſam, de proba. c. cum dilectus, de accuſat.* Quia nun-
quam vnus teſtis cuiuſcunque ſit dignitatis aut fidei, probat: ſed
in ore duorum ſaltem vel trium, ſtabit omne verbum, *Deut.19.
c.cum a nobis, in princ. & ca.licet in 1. de teſtib cap.pen. & fin.6.q.2.l.
iuriſiurandi, C.de teſti.l.maritus, de quæſt.P.* Ita Q.Scæuola excel-
lentiſſimus vir, teſtis in reum productus, cum id reſpõdiſſet, quod
ſalutem periclitantis maxime læſurum videbatur, diſcedens ad-
iecit, ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem aſſeueraſſent: quoniam
vnius teſtimonio credere, peſſimi eſſet exempli, *Val.Max.lib.4.
c.1.* Vt neque princeps poſſit ſtatuere generaliter, vt vnius teſti-
monio ſtetur: quod ex diametro pugnaret hoc præceptum cum
iure diuino, *Deut.19.* cui præualere nequit, *glo.in l.ſi de conſt.prin.
& in l.fi.ſi con.ius vel vtili.pub.C.ca.ſunt quidam, 25.q.1.* ¶ Si † con- 6
tra inuitum vnus producatur, nam pro volente, cui non fit iniu-
ria, & vnus fidem faciet, *vt in c.quicunque, 11.q.1. Ludouic. Roma.
ſing.358.* Sed & receptum eſt in cauſſis ciuilibus, teſtem vnum, nõ
quidem plenam probationem facere, ſed ſemiplenam: ſi is ſit fidẽ
dignus, & omni exceptione maior, id eſt, aduerſus quẽ nihil pro-
poni poteſt, cur reiici debeat, *gl.in § item, verborum, de inutil.ſti-
pul.* quem dicunt practici *ſans reproche.* Sic enim notant interpre-
tes, *in l.admonendi, de iureiuran. P. & in l. in bonæfidei, C.de rebus
cred.in c.fi.de iureiur probatur ex c.ex inſinuatione, de procura Hyp-
pol.de Marſ ſing.197.* hanc ſemiplenam probationem ſufficere ad
deferendum iuramentum, quod ad ſemiplenam probationem
probandam adhibetur. Quod firmat Hippolytus de Marſil. qui
ſingulariter addit, *idem Hippol.d. ſing. loco.* vt & arbiter qui ſen-
tentiam protulit, & qui non eſt teſtis idoneus in ſua cauſſa, poſſit
vt Iudex iurare in ſupplementum probationis actorum coram ſe
geſtorum, & faciat plenam probationem. Hoc etiam ſcripſit
Cardinalis conſil.140.colum.5. Quod intelligi par eſt, ſi is teſtis
cauſſam reddat teſtimonii, non aliter, *Bald.in §. non autem, ſi de
inueſt feud fuerit contr.in vſib.feudo. Ludou.Roma.in repet.rub. de
arbitr.col.8. Ant.de Corſe.in ſingularibus, de teſte, incipien. licet v-
nus teſtis facit l.ſola, de teſtib. P.c.ſolam, 4. quæſt.1.* Nam & modica
quælibet præſumtio, elidit ſemiplenam probationem vnius te-
ſtis, nec ex eo locus erit ſupplemento iuramenti *Ludo.Roma.con-
ſil.91.pen.col.Bal.in § ſacramentum, deciſione recti feud. in feu. Hip-
pol.de Marſil.d.ſing 397.*
¶ Nunquam † autem in criminibus, vnius teſtis fides faciet 7
nec contra reum probationem etiam ſemiplenam, vt aiunt Cyn.
& Angel.in l. quiſquis, C. ad legem Iuliam Maieſt. vbi impro-
bant gloſſam quæ contrarium tuetur. Sicuti & Lanfrancus de

Oriano, in cap. quoniam contra, ad ver. *teſtium depoſitiones*, num.
132, de probation. Excuſabit tamen vnius teſtis dictum accuſato-
rem a pœna talionis, & per conſequens a calumnia, vt notat Bald.
*in add. ad Specu. & ad tit. de accuſat.* & Hyppolitus de Marſil. *ſing.*
8 47. ¶ Colligit † etiam Speculator, in §. reſtat de numero, verſ. hoc
tamen fallit, titu. de teſtib. 40. caſus, in quibus ait teſtimonium v-
nius teſtis admitti, quem videre poteris. Interim dignum cogni-
tu eſt, teſtimonium vnius teſtis ex quo alteri præiudicium non in-
fertur, ſufficere, *vt in l. Theopompus, de do. præleg. P. c. paruulos, c. cũ
itaque, de conſecr. diſt.* 4. Atque in ſummariis & leuioribus cauſſis,
vnus teſtis faciet plenam fidem, vt neceſſarium non ſit etiam ad
iuramentũ probationis peruenire: vt & in his fama videatur ha-
bere etiam vim plenæ probationis, *l. vbi, de iure dot.* Et ita reſoluit
Matthæus Matheſilla. ſingul. 1, ex mente Bartoli, in l. de minore, §.
tormenta, de quæſtio. P. Et Antonius Butrigarius, in c. veniens,
in 1. de teſtib. & in c. 1. de appellat. Sed & idem Matheſil. ſing. 2. ait
in cauſſis poſſeſſoriis agi de leui præiudicio, & ideo per famam vel
vnum teſtem, fieri plenam probationem, ex Bartolo in l. 2. §. fina.
vbi in rem actio. C. Neq; ibi exigi iuramentum, quanquam in di-
uerſa ſit ſententia Barto. in l. admonendi, in vlt. col. de iureiurand.
P. & in extrauagan. ad reprimendum, in verſ. ſummarie, quom. in
9 crimin. læſæ maieſt. proced. ſit in feudis. ¶ Duo † itaque ad minus
requiruntur teſtes in plena probatione, qui quidem omni exce-
ptione maiores ſunt: vel ſaltem, quorum alter ſit eximiæ fidei &
omni exceptione maior, alter vero ſine perfidia, quãuis alioquin
minus ſit idoneus. Facit enim teſtimonii communio, vt vnius ha-
bilitas nutantem habilitatem alterius affirmet, *Bart. in l. ſi quis ex
argentariis, §. 1. ver. quid enim per illum text. de eden. P. & ibi Iaſ. &
Alexan. & idem Alexan. & Bart. in l. Gallus Aquilius, § fin. de lib.
& poſth facit pro hac communione l. ſi communem quem. ſeruit. amit.
l. ſi is qui duos, & ibi Bart. de lib. lega. Panor. ad c. ad audientiam, de
præſcr.* Et ita explicat Nicol. Boerius, ad conſuetud. Biturigen. §. 9.
10 annota. 3. de iuriſd. om. iud. ¶ Sunt † tamen negotia, quæ plures
exigunt teſtes quam duos ad plenam probationem, & in quibus
minor numerus quam decernatur, non ſufficit. Nam quamuis
Tholoſæ ſufficiãt duo teſtes cum Notario & iure pontificio duo
cum presbytero parrocho, *c. cum eſſes, de teſt.* tamen iure ciuili ſe-
ptem requiruntur, *l. hac conſultiſſima, C. de teſt.* interdum & 8. vt
in teſtamento cœci, *l. hac conſultiſſima qui teſta. fac. poſſ. C.* in codi-
cillis, quinque, *l. fi. C. de codicil.* in teſtamento ruſtici quinque, *l. fi.
C. de teſta.* in chirographaria ſubſcriptione, interdum tres, inter-
dum quinque, pro modo quantitatis debiti, *l. fin. cum auth. ſeq. C.
ſi cert. petat.* In comparatione literarũ, tres, *l. comparationes, C. de
fi. inſtrum.* in confeſſione mulieris quæ elidat Senatuſc. Velleia-
num, tres etiam, *l. antiquæ, C. ad Velleian.* vt & in legitimatione
naturalis filii ex nominatione legitimi, *§. ad hoc autẽ, vt lic. matr.
& auiæ, in Authen.* Sunt & alia quæ maiorem aut minorem exi-
gunt numerum, de quibus docet Archidiaco. in Summa, 2. quæſt.
11 5. ¶ Secundo † nõ ſunt idonei teſtes, quos quis de familia ſua pro-
duxit: qui & dicuntur domeſtici, *l. 2. C. de teſti. c. in literis, eo. c. ſi te-
ſtes §. teſtes quos accuſator, 4. q. 3. c. conſanguinei. 3. q. 5. c. 1. 14. q. 2. l.
pen. de teſtib. P. l. 1. §. ad quæſtionẽ, de quæſt. P. l. pridẽ placuit, C. eo.* Et
Cicero pro Roſcio, teſtem mutum dicit, qui de accuſatoris do-
mo producitur. Domeſtici dicuntur, qui cum aliquo degunt, vt
liberti patrono, ſerui domino, mercenarii iis apud quos degunt,
&c. & qui ex familia alicuius ſunt, *l. reſpiciendum, §. fin. de pœn. P. l.
1. ſi fa. fur. fec. dic. l. 1. §. familiæ nomen, de pubil. & vectig. l. 2. §. familiæ
autem appellatio, de vi bon. rap. P. l. deteſtatio, § famil. de verb. ſig. l. fi.
C. eod. l. ædiles etiam, 25. §. familiam de ædil. edict. l. 1. §. familiæ, de vi
& vi ar. P.* Inter domeſticos proculdubio annumerãtur filii, fra-
tres, pater, & illi qui ſunt in poteſtate, *l. tria onera, in 2. de excuſ. tu-
to. P.* itemque familiares, *in l. fi. §. fi. de iis, qui ad eccleſ. confug. l. pen.
de teſt.* Et gloſſ. l. 2. quædam l. eos, C. de teſtibus, annumerat vici-
nos antiquos, inter familiares. Vicini porro dicuntur, qui ſe in-
uicem clamantes audire poſſunt, vt notat Bartolus, *in l. ſi tertius,
colum. 1. de aq. plu. arc. arg. l. 1. §. eodem autem lecto, ad Syllania. P. Pa-
nor. in c. quoſdam, de præſumt.* Proximi ſeu ſanguine coniuncti ſunt
etiam de familia, *l. pronuntiatio, 195. de verb ſig. l. vnum ex familia,
de lega.* 2. Neque de vxore dubitatur, quin ſit de mariti domo &
familia, *l. 1. §. ſi vir aut vxor. C. ad Sena. Syllania. l. quicunque, de re
milit. lib. 12. C.* quia ſocii ſunt coniuges diuinæ & humanæ domus,
*l. aduerſus, de cri. expil. hered. C. l. 1. rer. amota. P. c. 2. de ſponſ. l. ceterũ,
de vſu & habita. l. fin. §. item reſcripſerunt, in 1. ad municip. P. l. 1. de
ritu nup. P. l. exigere de iudic. P. l. mulieres, de incol. lib. 10. C.* Et dixi-
mus in nuptiis, vxores matresfam. tranſire in manum & poteſta-
tem mariti. Et alibi, cum de poteſtate mariti in vxorem egimus,
docuimus ei maritum imperare poſſe. Proinde dicimus & has
perſonas, quibus imperari poteſt, idoneas non eſſe pro teſtimo-
nio ferendo, in eius fauorem qui poteſt imperare, *l. idonei, de te-
ſtib. P. l. ſeruus pro domino, C. eod.* Et ſicuti domeſticæ ſcripturæ fi-
dem non faciunt, *l. inſtrumenta domeſtica, & l. exemplo, C. de pro-
bat.* ſic nec teſtes domeſtici, *l. in exercendis, de fid. inſtr. C.* Exiſti-
mauit autem quod eſt ſingulare Felinus, dominum domus poſſe
eſſe teſtem pro ſubdito: niſi ſubditus ſit potens, dominus autem
vilis, in quem timeatur imperium, *Felin. in c. in literis, num. 12. de
teſt.* Ego vix eum admiſerim in domeſticis, cum & ex amicitia ſuo-
rum domeſticorum colligi poſſit præſumtio, quod eos velit de-
fendere. Et ex alio capite, hic teſtis reiici poterit, ſi lucri cauſſa, a-
micitia, vel inimicitia obiiciatur: hæc enim ſolet teſtibus abroga-
re fidem, *c. ſi teſtes, §. teſtium fides, 4. q. 3. l. ob carmen, 21. § fin. l. quæſi-
tum, 13. de teſtib. P. l. eos teſtes, §. fi. eod. C.*

¶ Notabile † etiam eſt, vt non tantum leges ſubmoueant do- 12
meſticos teſtes in fauorem dominorum a teſtimonio, ſed etiã,
vt ne contra eos audiri poſſint, caueant, *l. pen. & l. iniquum, de iis
qui accuſ. non poſſ. C.* Quamobrem nec pro, nec contra maritum,
recte dicemus ni fallor, vxorem produci poſſe in teſtem regulari-
ter, vt faciat probationem. Quia eſt domeſtica, amicitiæ cauſſa
coniuncta, & familiaris, & in eius poteſtate, *c. hæc imago, & c. mu-
lier, ca. mulierem, 33. q. 5. 1. ad Corinth. 11.* communes fortunas &
infortunia cum eo habens, *l. ſi cum dotem, §. ſi maritus, ſol. mat. P.
Et ita etiam reiici reſoluit Alberi. in tracta. de teſtib. Ioan. de Platea,
in l. quæcunque, de re mili. lib. 12. C. Iaſon in l. ſed & ſi quis, ſi quis cau-
tio. P. Felin. in c. in literis, num. 7. de teſtib. glo. in l. 1. §. ſi vir, ad Syllan.
P. gloſſ. in ca. in ſumma, 3. quæſt. 5. gloſſ. in l. 2. C. de teſtib. gloſſ. in l. præ-
ſenti, §. ſane, in ver.* domeſtica *de iis qui ad eccleſ. confug. C.* Sed &
Cyn. de Pyſto. *ad d. l. 2. C. de teſtib.* exiſtimat maritum eadem do-
meſticitatis ratione a teſtimonio vxoris repelli: quanquam, in-
quit, & alia ratione id fiat, quia & ſunt mariti qui magis vxores ti-
ment, quam dominos. Vinum enim & mulieres corrumpunt in-
terdum viros prudentiores, *vt conſtat ex Salomone, ex Rachele &
Iacobo, Geneſ. 39. Samſone & Dalida, Iudic. 4. Conſtat & l. 4. de re
offic. teſtam. P. cum ſimil.*

¶ Et † Rabi Moſce, qui ſancti nomen habuit, pariter & Paulus 13
Iſraelita, in commentariis ad præceptum Iudæorum negatiuum
214. filios nepotes, neptes, & vxores eorum, & maritos, in mutuo
teſtimonio: item affines & cognatos, ſurdos, cœcos, impudentes,
dementes, & præſumtuoſos, arceri, & dictis teſtimoniis mutuis
per legem ſubmoueri tradunt. ¶ Nec † tamen me latet, in diuerſa 14
ſententia fuiſſe Speculator. in tit. de teſte, §. 1. verſ. ſed nunquid de
vxore, vbi notat indefinite, vxorem pro marito admitti. Quam o-
pinionem Stephan. Aufrerius, *tract. de teſtib.* exiſtimat proce-
dere in vxore, quæ virum non timet, & eſt bonæ famæ: ſubſcribẽs
Cyno, in l. 2. de teſtib. Panorm. in c. in literis, nu. 7. eod. tit. & con-
ſil. 32. volum. 1. verſ. nec obſtat, vbi tamen fatetur minus eius te-
ſtimonium probare. Quorum ratio eſt, quod non per omnia cẽ-
ſeatur vxor in poteſtate mariti, nec ei omnino ſubdita. ex l. ſi vxo-
rem, de conditio. inſert. C. niſi quod pertinet ad quædam obſe-
quia, vt notat etiam idem Panor. ad ca. literas, de reſtit. ſpoliator.
Felin. in d. c. in literis, num. 7. de teſtib. Poſſet & adferri æqualitas
quædam inter has perſonas, ex ca. ſi dicturi, 32. quæſt. 6. Verumta-
men iſtæ rationes non concludunt, ideo admittendum eſſe teſti-
monium vxoris pro marito, vel contra. Nam vt monui, ex alio
capite quam ſubiectionis, repelluntur: puta, quia domeſticæ, &
communia cum maritis habeant omnia familiares amicæq;, quæ
omnia reiiciunt teſtes.

¶ Quo † fit, vt multo magis non poſſit cogi teſtari contra ma- 15
ritum, quod & probat Cynus, ad l. 2. C. de teſtib. & Panor. ad d. c. in
literis, in fine: qui tamen excipit, ſi defectus ſit teſtium, quo caſu
ait ceſſare priuilegium: idipſumque aſſerit, in cap. ſi quo, de teſti-
bus, & in cap. 1. de teſtib. cogend. ¶ Et † hæc omnia ad ſponſam 16
porrigunt, *glo. & Bald. in l. 2. C. de teſtib.* quia & affinitas ſeu prin-
cipium affinitatis inter ſponſos eſt, *l. quod Seruius, de cond. cau. da.
P.* ſicuti inter coniuges, *l. non ideo, C. de heredi. inſti.* Sed & Baldus
eadem ſtatuit in concubina, quod ea non diſtet in affectu animi
ab vxore, ſed tantum in honore, *l. item legato, 47. § parui enim re-
fert, de leg. 3. l. pellicem, alias incipit, Maſuerius. 144. de verb ſign. P.
adde l. affectionis, de donat. P. l. pen. de concub. P.* In focariis & me-
retricibus affectio quædam eſt, *l. affectionis, de donatio. P.* Et ſæpe,
quod proponit in Hercule furente Seneca, cauſſa bellandi eſt a-
mor, & fictæ ſunt & doloſæ adulationes in focariis, quibus &
ſpoliant

ſpoliant facultatibus ſæpe ſcortantes, *l. 2. de dona. int. vir. & vxor. C.* Sed num iſtarum & ſcortantium cum illis, pro illis teſtimonia
admitti debeat Iudex arbitrabitur ex affectionis æſtimatione. Vi-
les enim ſunt perſonæ, *l. 1. C. de na. lib.* & reiiciendæ, maxime ſi
domi habeantur. Clandeſtinis namque ac domeſticis fraudi-
bus, facile quiduis pro negotio opportunitate confingi poteſt, &
17 id quod verum eſt aboleri, *l. data, C. de dona.* ¶ Omittendum † ta-
men non eſt, quod interpretes arbitrantur, domeſticum teſtem
productum, probare cum alio teſte omni exceptione maiore, ſi
cum eius dicto concordet, *Hyppol. in l. de minore, §. tormenta, de
quæſt. P. Bal. & Ange. in l. ſi quis ex argentariis, §. 1. de eden. vide Iaſ.
in l. dictantib. de teſta. C.* quia domeſticus teſtis, etſi plene non pro-
bet, tamen probat ſemiplene, *Bald. in ſua marga. in ver. teſtes fami-
liares, Hyppol. in l. 1. §. ad quæſtionem, de quæſtio. P. Bart. in l. 2. de ex-
cuſ. tut. Felin. in c. cum dilecti, 8. de accuſat.* & lex non reſiſtit exami-
nationi teſtis, licet non aſſiſtat, vt aiunt. Verum non probo illam
ſententiam, & exiſtimo neque ſemiplene generaliter probare do-
meſticum teſtem contra aduerſarium domeſtici, ſi obiiciatur de
domeſticitate, vel familiaritate: nam reiiciendus eſt, nec facit iu-
dicium, *vt etiam idem Felin. docet, ſibi contrarius in d. c. cum dilecti,
num. 9. 10. 11. &* 12. Si tamen non obiiciat aduerſarius, ſed conſen-
tiat, veram priorem ſententiam puto.
18 ¶ Quocirca † in inſtrumentis adhibitos teſtes familiares & do-
meſticos, facere fidem communi calculo reſpondent interpre-
tes, *Hyppol. de Marſil in d. l. 1. §. ad quæſtionem, de quæſtio. P. Berta-
chi. in tracta. de epiſcopo, par. 5. li. 4. nu. 61. in* 11. *limitatio. Cæpolla, cau-
te.* 217. in quo adeſt cum illis notarius ſeu perſona publica plenæ
fidei. Volentibus enim & præſentibus, neq; reclamantibus quo-
rum intereſt, adhibentur: & probant magis leges tranſactiones
& ſolutiones obligationum, quæ fiunt adhibitis amicis & proxi-
mis, *l. tranſactionem,* 35. *C. de tranſact. l. ſciendum, de vſur. P.* quod
& expreſſe firmare videtur capite ſuper prudentia, in fi. 14. q. 2.
19 ¶ Sic † ſi aduerſarius ſit præſens, dum producitur teſtis dome-
ſticus, & taceat, quia videtur approbaſſe tacendo productionem,
non poteſt excipere contra illum ex hoc capite, ſi tunc ſciuerit eũ
domeſticum: quia reprobatio teſtium in gratiam eius inducta vi-
detur, & proinde non contradicendo, conſenſiſſe, & ſuo priuile-
gio renuntiaſſe videtur. Et ſic reſoluunt interpretes, *Bald. in l. ſi
quis teſtibus, col. fin. ver. dubitatur, de teſtib. C. Alber. tract. de teſti.
fol. 3. col. 3. inter tractat. primi volum. tractatuum.* Quemadmodum
contra non examinabitur, ſi de eo ante examinationem oppona-
tur, *Felin. & Panor. in d. c. in liberis, de teſt. Bertachinus tract. de e-*
20 *piſco. lib. 4. par. 5.* ¶ Quare † ſi quis etiam teſtibus quibuſdam vſus
fuerit contra me in vna lite, & ego eoſdem producam in alia lite
pro me, non poteſt aduerſarius de perſonis eorum excipere: quia
iam probati ſunt, *l. ſi quis teſtib. C. de teſti.* quos vocant in praxi *te-
ſtes affidatos*: niſi poſteaquam teſtimonium pro aduerſario dixe-
runt, doceatur factos fuiſſe eius inimicos, vel a me pretio corru-
ptos. Si tamen qui examinatus fuit pro aduerſario, a me in eadem
lite producatur contra eundem, poteſt obiici illi quod ſit redem-
tus, & corruptus pretio, *l. produci. eod.*
21 ¶ Sequitur † etiam ex prædictis, quod ex vna domo plures te-
ſtes alieno negotio adhiberi & acciri a volentibus poſſunt, *l. pa-
ter & filius,* 17. *eod. P.* tum quia non ſunt cuiuſquam, cuius interſit,
domeſticum: tum etiam quod inter volentes approbantur. Et ita
pater in teſtamento volentis filii, & contra filius in teſtamento
patris eſſe teſtis poteſt, *l. qui teſtamento, in* 2. § 1. *de teſta. P.* ¶ Pari
22 † modo probant domeſticum teſtimonium iura, in rebus dome-
ſticis probandis quæ aliunde probari non poſſint, quæ inter pri-
uatos parietes fiunt, & in eo idonei ſunt. Et ſi de controuerſiis do-
meſticorum agatur, videtur par affectio domeſticorum teſtium
in domeſtico, *arg. l. quoniam, de hære. C. l. non ſolum,* 67. *§. de vno, de
ritu nup. P.* ſiue agatur de criminibus, *l. conſenſu, §. ſin autem, de re-
pud. C. Hyppoli. in l. de minore, §. tormenta, de quæſtio. gl. Bart. Bal. in
l. 2. C. de teſti. facit l. in adulterii, & l. ſi C. de adulter. l. ſi. § licentia, de
iure delib. C. l. 1. C. de qua.* ſiue de aliis nota tantum domeſticis, *c. in
literis, & ibi Felin. 3. fallen. de teſti. Lanfran de Oriano. in c. quoniam
contra, in ver. teſtibus, de probatio.* Aut de vita domeſticorum.
Atque probari innocentiam alicuius poſſe per ſuos domeſticos,
docent interpretes, *c. in decima actione,* 18 *q.* 2. videlicet ſi ex alio
capite non reiiciantur: eo quod adhuc præſumtio ſit communis
pro innocentia cuiuſq;, niſi de contrario appareat. *Hyp. de Marſ.
ſing. 59. & 72. Bal. in l. edita, C. de eden. & in l. parentes, de teſt. C. Iaſon
in l. ſed & ſi quis 1. col ſi quis cautio. P. Horia. in l. teſtis idoneus, de teſt.
Bertach. in tract. de epiſcopo, lib. 4. par. 5. nu. 6. & 60. limi. 8.* Et ita re-
cipio, non autem generaliter, ſententiam fere omnium interpre-
tum, famulum, qui ſine mercede ſeruit, pro domino admitti in te-
ſtem, *v. ſi. de præſumt. l. merito pro ſoc. P.* ¶ Sed † & monendi ſumus, 23
iiſdem fere cauſſis domeſticum in domeſticum ferre teſtimoniũ
poſſe, ſi tantum habeatur quæſtio in exceptione domeſticitatis,
*Spec. in titu. de teſte, §. 1. ve. de quo mercenario Ludo. Rom. conſ.* 402.
*Hyp. de Marſ. ſing. 5. & in l. 1. §. idem Numio, de q. P.* alioquin ſi ſit
reuerentia perſonæ addita, teſtimonium non valet, *Iac. de Arena.
& Cyn. de Piſtor. in l. 2. C. de teſtib.* Ceterum in cautela, quam o-
mnes interpretes admittere videntur, *l. libertorum, C. de teſtib. l.
pridem, C. de quæſt. & l. ſeruos, C. eo. l. ſeruos, C. de teſti.* vt qui vti vult
famuli vel domeſtici teſtimonio, eum abiiciat a ſe, poſtea vero eũ
examinare faciat: diſtinguendum eſſe arbitror, an vere vel ficte;
eiuſque rei gratia prius a ſe quis famulum dimiſerit: nam ſi per ſi-
mulationem & ad tempus reiiciatur, intẽtione ea, vt poſt dictum
teſtimonium repetatur & reſtituatur obſequio, eius teſtimoniũ
tanquam domeſtici recte reiicietur, *tradunt Odofre. Bald. & Cyn.
in l. 2. C. de teſtib. Spe. tit. de teſte, verſ quid ſi olim, Hyppol. in l. 1. §. idẽ
Numio, de q. Bar. in l. 1. §. ſi ſeruus, per illum textum de q. Felin. in c. in
literis, nu. 8. & ibi Panor. nu. 6. de teſti. Tiraq. in tract. ceſſante cauſſa,
num.* 101. 102. 103. Neque enim eſt malitiis hominum indulgen-
dum, *l. in fundo, de rei vind. P.* neque ex fraude ſua lucrum conſe-
qui dominus debet, *l. ne ex dolo, de dolo. P.* Et affectata abſentia nõ
ſolet conſiderari, vt proſit, *in l. & qui data opera, ex quib. cau. ma-
io. P.* Facile autem detegi poteſt illa fraus, ſi teſtimonio dicto re-
deat ad dominum, *l. ſed Iulianus, §. mutui, ad Senat. Macedonia.*
Contra, ſi mora longa interpoſita, & poſtquam cum alio fuerit
famulus, ad priſtinam dominum redierit, *l. ſi ventri, § ſi. de priuil.
credi. P.* ſi modo Iudici liquere poſſit ex illa mora interpolata, me-
moriam prioris domini fuiſſe pene obliteratam. Alioquin ſunt
textus expreſſi, *l. ſeruus, C. de quæſtio. l. vnius, § ſeruus, & l. etiam, eo.
tit. P.* qui ſtatuunt ob memoriam prioris ſeruitii tranſacti, teſti-
monia reiici. Sicuti & qui deſiit eſſe Decurio, ob memoriã prio-
ris dignitatis nõ torquetur, *l. ſi. de decurio. P. l. nihil ſibi,* 17. *de quæſt.
C.* Subſiſtat igitur prior reiectionis teſtimonii cauſſa legitima, in
domeſticis & familiaribus, quibus & continentur parentes, filii,
nepotes, neptes, vxor, maritus, famuli & familiares. ¶ Secundo,
† porro cauſſa erit, ſi teſtes corrupti ſint pretio, vel redemti, *c. li* 24
*cet, de prob. c. 1. & c. ſicut, 9 de teſti. cum ſim. c. ſi.* 14. *q.* 3. ¶ Tertio, † ſi 25
pauperes nimium, in quibus timeatur redemtio & corruptio. Si
non habeant quinquaginta aureos in bonis, *l. 3. de teſtib. P. l. non-
nulli, de accuſ. P.* Iuuenal. Satyr. 3.

*Quantum quiſque ſua numorum ſeruat in arca,*
*Tantum habet & fidei, iures licet & Samothracum,*
*Et noſtrorum aram contemnere fulmina pauper*
*Creditur atq; deos.*

Et paulo poſt,

*Nil habet infelix paupertas durius in ſe,*
*Quam quod ridiculos homines facit.*

Apud Moſcouitas vnius nobilis perſonæ teſtimoniũ magis pro-
bat, quam plurium vilis conditionis, vt ſcribit Sigiſm. Liber Baro,
in commentar. rerũ Moſcouitar. Et eſt hic locus protritus & vul-
gariſſimus, a miſeria pauperum & neceſſitate, qua cogit ad tur-
pia, dicere quidlibet, facere, aut etiam pati. Quare & viles & hu-
miles perſonæ, parum & nihil fidei habere videntur, in §. corro-
borantes. 90. Nouel. Iuſtin. humiles & abiectę perſonæ numerã-
tur in l. humilem, 7. de inceſt. & inutil. nupt. C. l. 1. C. de natu. liber.
Vt proculdubio, fides mendicantium & pauperum vacillare vi-
deatur: niſi aliunde ſint exploratæ fidei, vt dicit Iuſtinia. in §. fi. de
ſuſp. tutor. ¶ Quarto, † eſt & potentis aduerſus tenuiores ſuſpe- 26
ctum teſtimonium Conſtan. Harmenopulo, *lib* 1 *titu* 6. ¶ Quin- 27
to, † reiicitur qui habet ſimilem cauſſam ei pro qua deponit, *ca.
perſonas, de teſt.* quia eius intereſt, & in propria cauſſa dicendi te-
ſtimonii facultas adimitur, *l. omnibus, C. eod.* Eodem modo reiici-
tur ſocius criminis, *c. veniens, eo.* ſeruus pro domino, *l. ſerui reſpon-
ſo, eo. P.* filius pro patre, *l. teſtis idoneus, & l. ſeq. eod. P. l. omnibus, C.
eod.* poteſt tamen frater contra fratrem dicere teſtimonium, *c. li-
teras, de præſumt.* quia non continetur edicto prohibitorio de te-
ſtibus, *l. 1. de teſtib. P. glo. in c. inſinuante, de offi. deleg. gloſſ. in c. cum
Ra. canonicus, in ver. cum ſint, de offic. delega.* De affine te doce-
bit cap. abſens, 3. quæſtio. 9. l. lex Cornelia, de iniur. P. vix autem
reiicitur conſanguineus ex cauſſa ſanguinis, niſi magna proximi-
tas ſit, quæ amicitiam & pro conſanguineo teſtatum arguat. Non
autem cogi poſſunt contra proximos & affines, qui proximi ſunt,
teſtari, *c. fin. §. lege Iul. 4. q. 3. cui iunge c. 1. 3. quæſt. 5.* Lucas Patriar-

cha Conſtantinopolitanus excommunicauit præfectum mona-
ſterii Gerotrophii, quod teſtimonium tuliſſet contra ſuum filium
28 ſpiritualem, *lib. 2. iur. Orien. in ſanctio. Lucæ.* ❡ Sexto, † mulier iu-
re ciuili, in criminalibus & in ciuilibus admittitur vt plerumq; in
teſtimonium, *l. ex eo.* 18. *de teſtib. P. l. quidam teſtamento, §. mulier,*
*de teſtam. P.* Iure canonico, excluduntur in criminalibus, *c. forus,*
*de verb. ſign.* niſi per viam inquiſitionis teſtentur, *c. quoniam, & c.*
*ex literis, de teſtib. ca. ex eo.* 15. *q.* 3. Iure Gallico, in vtriſq; cauſſis ad-
mitti debent, *Io. Gallus, in quæ. per areſta deciſ. q.* 316. *in* 5. *part. ſtyli*
*parl. diſpoſiti per Molineum.* Et hodie etiam in foro eccleſiaſtico,
admitti mulieres pro criminalibus, notauit Alexander, *conſil.* 24.
2. *vol.* Excipiendæ tamen meo iudicio, meretrices, quæ viles ſunt,
& parum fidei habent: niſi forſan tam graue & occultum fuerit
crimen, vt per alias perſonas detegi non poſſet: vt ſi de ſimonia, *c.*
*tanta eſt labes & ibi glo. de ſimo. per l.* 3. *de teſtib.* vel coniuratione in
Rempub. *l. in quæſtionibus,* 8. *ad leg. Iul. ma. Saluſt. in Catil. coniur.*
vel de aliis grauioribus agatur, *l. mulierem,* 13. *de accuſ. P. l. fina. ad*
29 *leg. Iul. de anno.* ❡ Septimo, † non teſtatur laicus contra clericum,
exceptis quibuſdam criminib. vt c. 3. de teſtib. c. tanta, de ſimon.
iuxta c. de cetero, 3. de teſtib. cum ſimil. Puto tamen non ſeruari
30 hanc prohibitionem, ſi quid aliud non impediat. ❡ Octauo † reii-
ciuntur & per viam exceptionis ob crimen teſtes, *c.* 1. *&* 2. *de ex-*
*cept.* optimus namq; quiſque ex pago vel ciuitate aſſumi debet in
teſtimonium, & cui is contra quem teſtari debet, nullum crimen
poſſit obiicere, vt iuſſit Carolus Magnus, *in c. de his quæ pertinent*
*ad leges clericorum occiſorum, c.* 8. Ita is qui ſemel peierauit alibi,
recte reiicietur, *l. qui accuſare, de accuſat. P. & in legib. Langobar.*
*l. qui ſemel, & l. falſa perſona.* & ſic de aliis. Verum notandum eſt, ex
probatione criminis obiecti per exceptionem: non eſſe punien-
dos a Iudice teſtes, neq; eos infames fieri, *c.* 2 *§. fin. de ord. cognit. c.*
31 *cum tu, de teſt.* ❡ Nono, † qui contra aliquem teſtatus eſt, pro eodẽ
teſtis eſſe nõ poteſt: & contra, *l. produci, eo. c.* 1. *ſtatutum,* 2. *q.* 7. Sed
& placuit Senatui Pariſienſi, aduocatum & procuratorem cauſſæ
& litis vnius clientis, non poſſe produci ab aduerſario teſtimonii
cauſſa, *Io. Gallus, in quæſt. deciſ. per are. q.* 98. *facit c. Romana, de te-*
*ſti. in Sex. l. mandati,* 5. *§. fi. eod. P.* Attamen notabile eſt, quod re-
fert Ægidius Magiſter, tract. appellationum c. 9. & 10. areſto pla-
cuiſſe Senatui Pariſienſi, 15. Maii 1538. monitiones ad finem re-
uelationis, impetrari poſſe ab Epiſcopo, nullo excepto pro rebus
temporalibus & realibus, cõtra coheredes, etiam ſi lis mota eſſet.
Et abrogatam fuiſſe antiquã clauſulam monitionum, *demta par-*
*te & conſilio*, per quam litigans non cogebatur ſeipſum prodere,
nec poterant exquiri probationes ab officina & domo aduerſa-
rii. Et proinde ratione monitionis & excommunicationis, hodie
moniti ipſe aduerſarius eiuſq; conſilium, ſi illa clauſula in moni-
tione non fuerit appoſita, coguntur deponere pro aduerſario ſi
quid nouerint, & ipſi quoque teſtes qui pro aduerſario depoſue-
rint. Veritas enim ſola eſt, quæ potior debeat omnibus reb. eſſe,
*3. Eſdræ, 4. Tobiæ, 4. Eccleſiaſt. 4. D. Io. c. 14. Euan.*

32 ❡ Decimo, † in cauſſa propria nemo teſtimonium ferre po-
teſt, vel in ea ex qua vtilitas ad eum peruenit, *l. omnibus, C. de te-*
*ſtib. l. nullus, eod. P. l.* 1. *§. biduum, quan. appell. ſit.* Si vtilitas vero pu-
blica ſit, admittetur, vt in c. in omni negotio, de teſtib. vt ita in v-
tilitate priuata tantum excludatur, & ſi modo proprie res eius &
33 ſingulariter dici poſſit. ❡ Alioquin † in cauſſis communibus, quæ
vniuerſitatis ſunt, & commodum in vniuerſum omnium reſpici-
tur, nec ſemper improbatum eſt teſtimonium, pro rebus vniuer-
ſitatis, *Accurſ. & alii in l. in tantum, §. vniuerſitati, de rer. diuiſ. P. l.*
*ſi municipes, quod cuiuſque vniuerſi. l. ſed ſi hac, §. patronum, de in ius*
*voc. P. c. qui manumittitur,* 12. *quæſt.* 2. Sic clericus pro ſua Eccle-
ſia teſtimonium dicere poteſt, *c. cum numerus,* 12. *& c. inſuper,* 6.
*de teſtib. ca. ſi per prudentiam,* 14. *q.* 2. quia quæ vniuerſitatis ſunt,
nullius dici proprie poſſunt, ſed ſingulorum, *l.* 1. *§ ea autem res, &*
*l. in tantum, §.* 1. *de rerum diuiſ. P. §. vniuerſitatis, eod. apud Iuſtinia.*
*§. cogitandum, de monach. in Auth.* Ita quilibet de collegio, & pro
collegio, & contra, teſtis eſſe poteſt, *Accurſ. ad d. l. in tantum, §.* 1.
Verumtamen ſi quod commodum particulare ex cauſſa vniuer-
ſitatis vel communi, ad teſtem de vniuerſitate perueniri poſſit,
non erit idoneus teſtis in eo: vt ſi agatur de piſcinis communi-
bus, aut de ſyluis ſeu paſcuis, ex quibus, qui de vniuerſitate ſunt,
vel piſces, vel ligna, vel fœnum, vel aliud percipiant, *l. parentes,*
*C. de teſt. Bart. & alii in l. ſed ſi hac, §. patronum, de in ius voc. P. Cæpo.*
*lib.* 2. *de ſerui. vrb præd. c.* 9. *num.* 10. 11. 12. Nec audiuntur ideo ſo-
cii criminis, exceptis grauioribus criminibus: vt in ſimonia, cap.
34 veniens, 10. cap. perſonas, de teſtibus. ❡ Vndecimo, † reiicitur
teſtis inimicus cauſſa expreſſa, *auth. ſi teſtis dicatur, §. ſi odioſus, C.*
*de teſtib. c. quoties aliqui,* 5. *de teſtib. ca. quatuor.* 11. *quæſtio.* 4. Ideo
Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus, in Q. Pompe-
ium nouum hominem, Iudices ſapientiſſimi non crediderunt.
Nam eorum virtuti, generi, rebus geſtis, fidem & auctoritatem
in teſtimonio, cupiditatis atque inimicitiarum ſuſpicio deroga-
uit, vt ait Cicero pro M. Fonteio. Et M. Æmilii Scauri, cuius in-
iurati nutu prope terrarum orbis regebatur, teſtimonio, nec in
C. Fimbriam, nec in C. Memium, neque in C. Flauium, neque in
C. Norbanum, creditum eſt, propter inimicitias, vt narrat Vale-
rius Maximus, *lib.* 8. *c.* 5.

❡ Decimoſecundo, † in ſumma, lege Iulia de vi cauetur, nec 35
hac lege teſtimonium dicere liceat, ei qui ſe ab eo parenteve eius
liberauerit, quive impubes erit, quive publico iudicio damnatus
erit, quive eorũ in integrum reſtitutus non erit, quive in vinculis
cuſtodiave publica erit, quive cum beſtiis vt depugnaret ſe loca-
uerit, quive palam quæſtum facit feceritve: quive ob teſtimoniũ
dicendum vel non dicendum, pecuniam accepiſſe iudicatus vel
conuictus erit, vt ſcribit Calliſtr. in l. 3. §. lege Iulia de teſtib. in P.
qui addit iterum eodem, epitomen reiectionum. *Nam,* inquit,
*quidam, propter reuerentiam perſonarum: quidam propter lubricum*
*conſilii ſui: alii vero propter notam & infamiam vitæ ſuæ admittendi*
*non ſunt ad teſtimonii fidem.* Quæ non proſequar fuſius, cum gloſ-
ſæ in dictum §. lege Iulia & interpretes ſufficere poſſint. Reiici-
tur & minor viginti annis, *l. in teſtimonium,* 20. *de teſtib.* ob carmẽ
famoſum damnatus, *l. ob carmen,* 21. *eod.* cuius vita aliqua ex cauſ-
ſa culpabilis, *§. ſancimus, de teſtib. in Auth.* repetundarum damna-
tus, *l. repetundarum,* 15. *eod. P.* vel de adulterio, *l. ſcio quidem,* 14. *§.*
*ex eo, eo. P.* quia infamis, *l. infamem, de pub. iudi.* Hermaphroditus
vero, an ad teſtamentum adhiberi poſſit, qualitas ſexus incale-
ſcentis oſtendit, *d. l. repetundarum, §. fin. & l. quæritur, de ſta. homi.*
Sed † quia teſtes etiam reiici poſſunt, ſi in his admittendis vel exa- 36
minandis non fuerit legitima forma ſeruata: videamus pauca de
illa. Conſiderabo itaque res, perſonas & negotia, quibus adhi-
bentur, num agatur de voluntariis negotiis & extraiudicialibus,
an de iudicialibus. In extraiudicialibus, interdum non rogati &
fortuiti fidem & teſtimonium dant, interdum negotia ſunt, quæ
rogatos tantum admittant, niſi priuilegium perſonæ teſtis repu-
gnet, quemadmodũ ſi ſacerdotes ſint, qui nec rogari nec adhibe-
ri teſtimonio debent: tamen ſi interfuerint negotio, caſu, poſſunt
examinari, ne veritas pereat, *c. ſi.* 12. *q.* 2. Et eodem modo qui per
inquiſitionem de factis teſtantur, rogati non dicentur: qui illi ne-
gotiis geſtis caſu potius, quam rogati interfuerunt, *l.* 1. *de teſtib. P.*
Sunt autem voluntarii actus, quibus ad probationem futuram
rogari & vocari teſtes debent, vt interſint & recordentur eorum
quæ geruntur, ſi in poſterum illos interrogari de geſto contingat
& neceſſarium ſit. Rogati teſtes in negotiis quibuſdam a iure de-
ſiderantur, vt in teſtamentis, *l. heredes, §. fi. de teſtam.* in codicillis,
*l. ſi. C. de codic.* in diuortio, *l. nullum, de diuort. P.* in ſolutione faci-
enda, *l. teſtium, & auth. rogati, C. de teſtib.* Ratio ponitur in §. ſi qui-
dem, de teſtibus in authen. Ex quo ſumta eſt authen. rogati, C. eo.
tit. Et maxime rogati debent eſſe in iis, in quibus determinatus
numerus eſt teſtium: non in aliis in quibus & qui caſu adſunt, te-
ſtari poterunt, *in l. ad fidem, eod. P.*

❡ In † iudicialibus negotiis vocandi ſunt ſeu citandi teſtes, 37
quos examinari neceſſarium ſit: ſi enim ſe ingererent & offerrent
vltro, ſuſpecti eſſent, *l. quæ omnia, de procurato. Alexan. conſ.* 72.
*vol.* 2. *Bart. in l. poſt legatum, § his vero, de his quib. vt indig. c. illi,* 5.
*q.* 5. Vocantur autem, & ſi nolint venire, cogi poſſunt, ne veritas
occultetur, & probatio eius pereat, *c.* 1. *& tot. tit. de teſtib. cogen. l. ſi*
*quando, C. de teſtib.* Sic Plato 12. de legib. Si quis ſponte teſtimo-
nium ferre noluerit, citetur ab indigente, citatuſq; tempore ido-
neo adſit, & teſtimonium prout ſciuerit adferat: ſi neſcire ſe dicat,
iureiurando tribus inuocatis, Apolline, Ioue, Themide nomina-
tis, neſcire ſe affirmet, ac liberetur. Primum tamen mouendi ſunt
teſtes, vt dicant teſtimonium, non cogendi: ſi tamen ſe ſubtrahãt,
cogendi, *c.* 3. *de teſtib.* Apud Athenienſes, qui ad teſtimonium
vocati præſto non erant in iudicio, mille drachmis mulctabãtur,
vt ait Suidas in verbo, κλητῆρες. Sicuti & in eos, qui teſtes menda-
cii conuictos ſubornaſſent, dabant actionem κακοτεχνιῶν. Quod
intelligendum eſt de illis qui teſtimonium ferre coguntur.

❡ Nam † ſunt aliquæ perſonæ, quæ cum non teneantur te- 38
ſtari contra certas perſonas, contra illas etiam teſtimonium
non coguntur ferre: veluti inuiti teſtimonium non dicunt Pu-
blicani, qui non detrectandi teſtimonii cauſſa aberit, qui
aliquid

aliquid præbendum exercitui præbuerit, pupillus, *l. inuiti teſtimoniũ, l.19. de teſtib. P.* qui publico iudicio reus erit aut minor 20. an. *l. in teſtimonium, 20. eo.* Lege Iulia Papia iudiciorũ publicorũ prohibetur quoq;, ne inuito alicui denuntietur vt teſtimoniũ dicat aduerſus ſocerũ, generum, vitricũ, priuignũ, ſobrinum ſobrinam, ſobrino ſobrinave natũ, eoſue qui propiore gradu ſunt, libertum, liberoſq; eius patronũ, vxorem ve & liberos eius, *l. lege Iulia, 4. eod. P.* Mediator quoque ſeu proxeneta, non cogitur dicere teſtimonium pro altera parte eorum, inter quos mediator fuit, altero repugnante: vtroque vero conſentiente cogitur, *§ quoniam vero, de teſti. in Auth.* Item qui vexandi cauſſa potius vocatur quam teſtimonii, non cogitur venire, *l. ſed ſi quis ex ſignatoribus, quemad.*
39 *teſtam. aper. P.* ¶ Vocatio † itaq; iure communi teſtium examinãdorum neceſſario pro forma ſubſtantiali probationis, facienda erit: niſi agatur de caſibus quibuſdam, in quibus dicunt non requiri citationem, maxime ſi reperiatur in iudicio examinandus, *Iaſ. in l. nec quicquam, §. vbi decretum, n. 37. de offi. proconſ.* Sed & cum teſtis citatione, citari vel vocari debet aduerſarius, vt adſit productioni & receptioni teſtium & iuramẽto ab illis præſtando: nam niſi aduerſario præſente, vel vocato & contumace, non poſſunt hæc fieri, *l. ſi quando, §. ſed cum minime, de teſti. C. l. iudices, C. de fid. inſtru. ca. in nomine Domini & c. 2. de teſtib. §. & hæc vero, eod. in authen.* Sunt tamen caſus, in quibus non vocatur in examinatione teſtium aduerſarius, quorum aliquos colligit Ludouicus Romanus, ſing. 366. Primo, ſi examinanda vel audienda eſt mulier, iuramentum eſt præſtandum in domo eius vbi examinatur, non vocato aduerſario, *Bart. in l. ad egregios, de iureiur.* qui tamen ſi velit intereſſe eius iuramento, debet ad eius domum venire: quia & is qui teſtimonium recipit, ad eam venire non dedignatur, *iuxta l. 2. §. ſin autem dignitas, de iureiuran. prop. cal. dan. C. l. 1. C. de offic. diuerſo. iudic.* Secundo, in inquiſitione criminum, examinantur teſtes ſine vocatione aduerſarii, *Hoſt. & Io. And. in c. qualiter & quãdo, in 2. de accuſ.* Tertio, non vocatur in examinatione teſtium ad futuram rei memoriam contra eum, cuius timetur Tyrannis vel potentia, *Hoſt. & Io. And. in c. quoniam frequenter, vt lit. non conteſta. non proc. ad teſt. recep. aut. ſed ſi quis, in teſti. C.* Quarto, ſi fiat examinatio teſtium de idoneitate & ſufficientia alicuius, *Innoc. in c. fin. fi. de tranſ. epiſc. & in c. dudum, de præſumt. & c. bonæ, de poſtul. prælato.* Quinto, ſi teſtis ſit examinandus contra dominum hæreticum, *c. fi. de hære. in Sex.* Sexto, ſi Iudex ex officio teſtimonia recipiat de notorio, aut de fama publica, *Innoc. in c. bonæ, de electio. & in c. cum in tua, de ſponſal.* Septimo, ſi teſtes extra diem aſſignatum aduerſario recipiantur, *d. l. ſi quando, C. de teſti.* Octauo, quãdo caſus fortuitus ſuperuenit alicui in aliquo loco, cuius teſtatio ad releuandã eius culpam exigitur: teſtes ibi examinantur de caſu vbi accidit, ſine vocatione eius cõtra quem fit atteſtatio, quorum nihilominus teſtimonium admittitur, *in l. ſi quis, de naufrag. lib. 11. C. & ibi Bart. Antonius Corſe. in ſingula. in ver. teſtis, ſingulari incipiente, in loco vbi quis patitur.* Et probatio caſus ex naturali iuſtitia probationem admittit iure gentium, non attentata ſolemnitate iuris ciuilis, *l. ſcire oportet, §. ſufficit, de excu. tut. P.* Nono, quando teſtis producitur parte præſente, non eſt opus alia citatione, *Bal. in l. alia, in vlt. col. de iis quib. vt indig. C.* Decimo, examinatio neceſſaria teſtium extra prouinciam, poteſt ſine aduerſario fieri, *l. generaliter, §. his de præſentib. perſonis ſtatuitis. C. de reb. cred.* Vndecimo, quando ante litis conteſtationem teſtes audiuntur, ſine abſentium tamen præiudicio, non citatur aduerſarius, *l. laudabile, iun. gloſ. fin. C. de aduoca. diuerſ. iudicum.* Videbis alium caſum apud Alexandrum, in l. ait prætor, §. ſi debitorem, de his quæ in fraud. cred. P. & plures alios apud Bertachin. in tomo 3. in ver. teſte parte citata. Adfert & Maranta in praxi, in 6. par. in primo membro, verſ. citatio, vnum & triginta caſus, in quibus aduerſarius ad repetitionem & iuramenta teſtium non citatur.

40 ¶ Vocantur † & recipiuntur teſtes tantum ordinario iure poſt litis conteſtationem, non antea, *ca. 1. & toto titu. vt lite non conteſta. non proced. ad teſt. recep.* niſi vel timor mortis immineat: vel ratione partis quæ vocanda eſſet, quæ poſſet illam mortem inferre: vel ratione teſtium, qui dum litis exſpectatur conteſtatio, poſſent mori, vel quia ipſi longius abituri ſunt: ex quibus cauſſis, ante conteſtationem litis examinantur, ne probationis facultas pereat, *Felin. & alii in c. quoniam frequenter, eodem Ægid. concluſio. 616. incip. etiam teſtes, de teſtib. vide ca. cum olim, 34. de teſtib.* Verum antequam iſti audiantur, ſummarie & de plano doceri debet coram Iudice, de cauſſa, cur ante litem examinari poſtulentur, quod de morte dubium ſit, quod nonniſi poſt multum tempus ſint redituri, quod ſint peregrinaturi teſtes, *Bart. in l. in lege Aquilia, §. ſi delectum, ad leg. Aquil. P. Panor. Felin. & alii in d. ca. quoniam frequenter, vt lit. non conteſt. &c. & in c. Albericus, de teſtib.*

¶ Tria † itaque iuramenta teſtis hic in futuram cauſſam præſtat: primum, de futura abſentia. Secundum, de veritate dicenda, *Felin in d. ca. quoniam frequenter, 4. colum. Rota. dec. 292. in antiq.* Tertium, quod teſtimonium ante publicationem nõ patefaciet, *Octauian. Weſtrius in introductione, in aula Roma. actio. lib. 6. c. 2.* Et ſic de his cauſſis examinari poſſunt teſtes, antequam egeamus teſtimoniis, vt etiam ex c. ſignificauit, 41. de teſtib. liquet. 41

¶ Hinc † colligimus vocatos teſtes & venientes, iurare debere de dicenda veritate: alioquin enim examinati non præeunte iuramento, non probant, *l. iuriſiurandi, C. de teſtib. & c. tuis quæſtionibus, & c. de teſtibus, eod. tit. ca. iuriſiurandi, 4. q. 3. ca. hortamur, 3. quæſt. 9.* modo tamen iurandi ſeruato ſecũdum qualitatem perſonarum iurantium. Nam quidam eleuata & extenta manu, *vt in l. quidam de probat. P.* vel admota ad pectus iurant, vt ſacerdotes: alii, propoſitis ſacroſanctis Euangeliis, *auth. ſed iudex, de epiſc. & cler. C. c. fin. de iuram. cal. cle. 1. de homicid. cle. 1. §. porro, de hæreti.* alii propoſitis & tactis, *vt l. rem non nouam, C. de iudic. cum ſimil. c. fin. de iura. calum.* Omnes tamen cuiuſcunque ſint qualitatis & conditionis, hodie iurare coguntur, etiam ſi eſſent Cardinales, *c. nuper, & c. licet vniuerſis, de teſtib. d. l. iuriſiurandi.* Et ita iuramentum eſt de forma & ſubſtantia teſtimonii, vt diſputat Iaſon, ad l. admonendi, nume. 191. & 192. & ibi quoque Riparius 194. Verumtamen proditum eſt, iuramentum remitti poſſe teſtibus a litigantibus vtriſque, *interpre. & Felin. nu. 5. in c. tuis quæſtionib. de teſtib. Iaſ. in l. nemo poteſt nu. 26. de leg. 1. & in l. admonendi, num. 196. de Afflict. deciſ. 191. nu. 1.* 42

¶ Officium † vero erit aduerſarii vocati, in teſtium receptione & ratione proteſtari ſe nullo modo receptioni eorum cõſentire, & exceptiones ſe propoſiturum eſſe: neque enim eſt opus ſi quas in promtu nõ habet, extemplo allegare, ne interim remoretur litis accelerationem, *Bald. in l. ſi quis teſtibus, C. de teſti. vide Ioa. Gallum, in quæſtio. deciſ. per arr. q. 125. in antiq.* Verum proteſtatio debet eſſe conditionata, vt proteſteris teſtimonia illorum te impugnaturum, in quantum contra te facient. Nam interdum ſi iuuari poſſes illorum depoſitione, & ſine proteſtatione hac excepiſſes contra fidem teſtis, vix eſt vt pro te, dicta eius acceptare permittatur. Et ita cautius quidam faciunt, qui nolunt vocati intereſſe receptioni. 43

¶ Officium † porro iudicis eſt, vel eius cui delegatur examinatio, proſpicere ne multitudo ſuperflua pro vno articulo probando examinetur vel producatur, *l. 1. §. fin. de teſtib. P. l. cum cauſſam, eod.* Statuit conſtitutio Ludouici 12. anno Domini 1499. art. 13. in negotiis exiguis, vbi vnum aut duo probanda veniunt, ne plures quam decem teſtes examinentur, & ſupra hunc numerum reiiciantur, *facit c. venerabili, 52. eo. c. inquiſitionis, de accuſa. Idem obſeruauit Daniel, Danielis c. 13.* Et art. 11. vt ſeorſum examinentur & ſeparatim, non ſimul: & art. 15. vt in examine reddant rationem & cauſſam ſui teſtimonii, *ſine illa enim nihil probant, c. cum cauſſa, 47. de teſt. c. fin. §. ſolam, 4. q. 3. c. ſi habes, 24. q. 3. §. & licet dudum, de teſt. in auth. Si tamen teſtes dixerint ſimpliciter ſe ſcire, valebit nihilominus teſtimonium, nam interrogati de cauſſa, c. ſicut, de re iudic. l. de pupillo, §. qui nuntiat, de ope. no. nuntia. P.* Non admittendi dicere teſtimonium, ex honeſtate tamen nõ neceſſitate, iure Pontificio niſi ieiuni, *c. 1. de teſtib.* quod & lege Langobardo. ſtatutum, *l. fi. eo. lib. 2. legum Langobar.* Exſtat & in capitularibus Caroli Magni lex, in capit. de diuerſis admonendis, cap. 15. vt nullus ebrius in mallo, id eſt, iudicio, poſſit ſuam cauſſam requirere, nec teſtimonium dicere. Et ne comes placitum, id eſt, iudicium habeat, niſi ieiunus. Et rurſus cap. de pace cap. 11. *Omnino nullus niſi ieiunus ad iuramẽtum, vel ad teſtimonium admittatur. Si refutatur dicat qui eum refutat & probet, quare illius teſtimonium recipere noluerit. Et de ipſo pago, non de altero teſtes eligantur, niſi forte extra comitatum longius ſit cauſſa inquirenda. Et ſi quis fuerit periurus, perdat manum aut redimat.* Iudex vel delegatus examinationem teſtium ſubinde, poteſt & per ſe, & per delegatum vel collegam peragere. 44

¶ Verum † ſiue a ſe, ſiue ab ſcriba iurato, vel alio audiantur, debet poſt depoſitionem vel teſtimonium quod teſtati ſunt, illis iubere relegi, vt inquiratur num illud ita dixerint, & num velint addere vel diminuere. Vocant pragmatici, *Recoller les teſmoings.* Et ita dictum eſt areſto, teſtes recolendos eſſe, & aliter fidem non haberi teſtimoniis, vt refert Ioan. Gallus in quæſt. 126. in deciſis 45

per areſta parlamenti, pro quo facit cap. cum clamor, de teſtib.
Fiunt examinationes ſumtibus producendis, *l. quoniam 10. C. de*
*teſti. Ferar. in form. iura. teſtium, in ver. citati. nu. 1. Spec. tit. de teſte, §.*
46 *qualiter, nu. 12. vide deciſ. c. Tholoſ. 274. Boer. dec. 203.* ¶ Non † ex-
aminantur autem, poſt publicationem in cauſſa, & renunciatio-
nem in eodem articulo, quamuis pro aliis valeat eorũ productio,
*c. per tuas, 48. cum veniſſent, 25. de teſtib. ca. iurauit, de probat.* Sic-
uti neque poſt publicationem, exceptiones contra teſtes poſſunt
offerri aut probari, niſi ad notitiã cauſſa exceptionis nuper per-
uenerit excipientis, vel ante publicationem fuerit proteſtatus ſe
velle obiicere exceptiones, *c. præſentium auctoritate, 31. c. teſtimo-*
*nium, de teſtib. vide ca. intimauit, 18. & c. cauſſam quæ & c. ex teno*
*re, 35. c. cum cauſſam, 42. c. conſtitutis, 47. eod.* Quando autem poſt
publicationem probationis aduerſarii aduerſarius admittatur ad
contrariam probationẽ, docebit te c. ex tenore, de teſtibus, quã-
do productio quarta teſtium ſit indulgenda, c. ſignificauerunt, 36.
eod. tit. quando aliter ſit ſtatuendum, videbis in c. per tuas, 45. & c.
conſtitutus, 46. eod. titu. & ad cuius inſtantiam ſint dicta teſtium
47 publicanda, in eod. c. conſtitutus, de teſtibus. ¶ Quibus † omnib.
peractis ſuo ordine, exceptionibus & replicationibus & teſtimo-
niis collatis, & perpenſis, Iudicis erunt partes diſpicere, num pro-
bent teſtes, & qui præponderent, actoris an rei, ſi ambo proba-
tionibus æquis certare videantur. Non enim contrariæ iſtæ pro-
bationes teſtium abrogant ſibi fidem, ſed præualent digniores &
veriſimiliora dicentes. Et ſi ex vtroq; latere paritas ſit dignitatis,
& fidei, maior numerus vincet, *ca. in noſtra præſentia, de teſtib.* Si
vero æqualis per omnia probatio, abſoluendus eſt reus, *c. 3. de pro-*
*batio.* quia res recidit in primum ſtatum, ac ſi probatum non eſſet,
& actore non probante reus abſoluendus, *l. qui accuſare. C. de e-*
*den.* Et promtiores ſumus ad liberandum, quam ad condemnan-
dum, *l. Arrianus, de actio. l. fauorabiliores, de regu. iur. c. inter dile-*
*ctos, de fid. inſtrum. l. reſpiciendum, de pœn.* Exceptis cauſſis quæ per
ſe fauorem merentur, & pro quibus in dubiis ſemper iudicandũ,
quas notat cap. ſi de re iudic. & gl. ad c. 3. in verbum, *vt liberali*, de
probatio. Item ſi probatum eſt reum deliquiſſe, contraria directo
quod non deliquerit, probatio nõ erit admittenda, *c. ad noſtram,*
*12. de probat.* contra, ſi indirecte, *c. ſeries, & c. ex tenore, & c. tum li-*
48 *teris, 33. de teſtib.* ¶ Annotabit † Iudex non admitti teſtimonium
de auditu dici ſolo, *c. quoties 5. & ibi gl. in ver. credere. & c. licet eod.*
quanquam & id conſideretur, eo quod & diligenter ſunt teſtes
examinandi, & de ſingulis circunſtantiis prudenter inquirendi,
de cauſſis videlicet loco, tempore, ſcientia, crudelitate, fama, vi-
ſu, auditu, certitudine iuxta c. cauſſam quæ, 37. de teſtib. Et ſi du-
bie & obſcure depoſuit teſtis, iterum examinandus eſt, *c. cum cla-*
*mor, 53. eod.*

9 ¶ Finis † teſtium admittendorum, eſt fidem facere & probare.
Ideo & acta & teſtium dicta coram vno Iudice, faciunt fidem in-
ter eaſdem perſonas coram alio: vt in c. cauſſam quæſt. 11. de teſtib.
c. fin. de probat. Si tamen coram arbitro fiant in iudicio, liberum
erit de nouo teſtes audire, ſi viuant: ſi mortui namque, teſtimonia
fidem facient, *c. præſentata, 50. eo.* Verum illud obſeruabit Iudex,
vt probationes quidem reprobationis teſtium aduerſarii admit-
tat, & permittat teſtes produci probatorios & reprobatorios
probatoriorum, ſed non reprobatorios reprobatoriorum, *in c.*
*licet dilectus, 49. de teſtib.* ne in infinitum extẽdantur lites. Ex qui-
bus omnibus, vt tandem pedem a teſtium calculo ſubducam pla-
num eſt, quæ iſtius probationis inducendæ rationes ſint & cauſ-
ſæ. Atq; ſumma hæc videtur vtilitas, vt faciant ne quid lateat faci-
le actorum, & ne calliditate plurium hominum adueniente, ordo
cauſſæ periclitetur, §. 1. *de teſti. in Authen.* Iuuat ſuffragium ſacræ
50 paginæ, † *In ore duorum vel trium ſtabit omne verbum, Deut. 19.*
*2. ad Corinth. 13. l. vbi numerus, de teſtib. P. ca. in omni negotio & c. li-*
*cet, eod. ca. pluralis locutio, de reg. iur. in 6.* etiam ſi ageretur contra
ſummum Pontificem, vt ait glo. in cap. præſul, 2. q. 5. quam ſequi-
tur Panor. in c. at ſi clerici, de iudic. & in ca. cum eſſes, col. 5. de te-
ſtam. & in c. per tuas, in fi. de maior. & obed. Decius in c. ex literis,
col. 8. de proba. dummodo teſtes ſint omni exceptione maiores,
id eſt, non ſint ſuſpecti, & reprobari non poſſint: non aliter, *gl. in*
*ca. 1. de conſang. & affi. c. 1. de teſtib.* Vocarunt antiqui hos teſtes, aſ-
ſiduos, ab aſſibus & diuitiis, quas putarunt fidei in Rempub. præ-
cipuum vinculum, *Gell. lib. 16. c. 10.*

51 ¶ Et † quanquam grauius onus ſit probare per teſtes, quam
per inſtrumenta, *Specu. in tit. de probatio. §. 2.* tamen communiter
hæc firmior eſt, §. *ſi vero, de fid. inſtrum. in Auth. c. cum Ioannes, eo.*
*tit. apud Gregor. c. tertio loco, de probatio.* & frequentior. Exceptis
29. caſibus, in quibus ſcriptura præualet teſtibus, quos notat Spe-
culat. in tit. de inſtr. edit. §. quos illic potes videre. Sed & pleraque
negotia ſunt, quæ ſine inſtrumentis & ſcriptura geruntur. Et fue-
runt tantummodo probationes per teſtes, antequam ſcripturæ
inuenta eſſet formula. Et idcirco ad hanc ſpeciem probandi teſti-
um, vt ad antiquiorem, firmiorem, & neceſſariam confugimus,
quinimo nec ſcripturæ probant, niſi teſtium auctoritate fuerint
inſignitæ. Neque publica documenta aliud ſunt, quam teſtes pu-
blica auctoritate donati. Ideo ad illorũ vt omni exceptione ma-
iorum teſtimonia confugimus, & publica teſtimonia priuatis
præferimus, *l. in donationibus quæ actis, C. de dona. l. cenſus, & l. cum*
*de indebito de proba. l. ſi alterius, C. ſi minor ſe maior. dixer.*

¶ Et † ſi falſitas inſtrumentis obiiciatur, ſtatim ad teſtes rede- 5
undum eſt & refugiendum, *c. ex tenore, de teſtib. l. optimam, de con-*
*trah. ſtipul.* Quod ſi æquilibrio & ad aginam contrarii ſtent teſtes
inſtrumentarii & inſtrumentum, quid agere debeas, & quid ſe-
quaris, docebit glo. vlt. ca. tertio loco, de proba. Quomodo vero
puniantur falſi teſtes, iam vt opinor ſatis dictum eſt alibi, *in cri-*
*minib. lib. 36. Syntag. c. 5.* ¶ Iterum † nota Charundam, vt tradunt, 53
primum mulctam illis indixiſſe, *Ariſto. lib. 2. Ethic. c. 10.* At Fran-
ciſ. 1. Rex noſter, iuſſit ann. 1532. puniri falſos teſtes & notarios
morte, cuius ſpeciem relinquit arbitrio Iudicum. Apud Roma-
nos vero, olim Tarpeio monte deiiciebantur, *Gell. lib. 20. c. 1.* A-
pud Indos, extremis digitis decurtabantur, *Strab. lib. 15.* Lege ve-
ro diuina, a Moſe lata, falſus teſtis eaſdem pœnas patiebatur, quas
is, quem eſſet calumniatus, erat paſſurus, ſi verum fuiſſet teſtimo-
nium, *Ioſephus, lib. 4. Antiquit. Iudai. c. 6.* In legibus Langobardi-
cis, lib. 2. tit. de teſtib. l. ſi duo teſtimonia, lex eſt: *Si duo teſtimonia*
*de qualibet re teſtimoniauerint, & inter ſe diſcortauerint, tunc comes*
*eligat vnum ex vna parte, & alium ex altera, & illi duo teſtes diſcer-*
*nant cum ſcutis & fuſtibus, vt ipſi qui de ipſa falſitate conuictus fue-*
*rit, dextra manus amputetur.*

## De Probatione, & Productione Inſtrumentorum.

Lib. 22 P. tit. 4. **Cap. 14.** Lib. 4 C. tit. 21.

1 *Inſtrumentorum nomen generale quid contineat.*
2 *Inſtrumentum ſcripturæ quid, & diuiſio. nu. 3.*
4 *Authenticum, & authentica ſcriptura quid.*
5 *Sigillum quam auctoritatem habeat.*
6 *Scriptura priuata, & effectus eius.*
7 *Scripturarum vnde diuerſa nomina.*
8 *Inſtrumenta & ſcripturæ de quibus fiant.*
9 *Scripturæ publicæ a quibus fiant.*
10 *Inſtrumentorum publicorum conficiendorum forma.*
11 *Inſtrumendorum edendorum finis.*
12 *Verba diſpoſitiua, enuntiatiua, ſeu relatiua inſtrumenti, quid & in quibus probent.*
13 *Exemplum inſtrumenti quando fidem facit.*
14 *Inſtrumenta quando non faciant fidem publicam. & ſeq.*
15 *Falſi crimine tenetur qui falſo inſtrumento vtitur.*
16 *Teſtes inſtrumentis adhibiti, an poſſint probare contra tenorem inſtrumenti.*
17 *Inſtrumenta contra alias, quam contrahentium perſonas & heredes earum, non probant.*
18 *Scripturæ contrariæ fidem ſibi abrogant.*
19 *Inſtrumenta cancellata in quantum probant.*
20 *Scripturæ priuatæ fidem quam faciant.*
21 *Scriptura cur probet, rationes adferuntur.*

INter probationes † legitimas ea eſt, quæ fit per ſcripturam, vo- 1
cant per inſtrumenta. Ceterum inſtrumentorum nomen con-
tinet omne quod inſtruit cauſſam, & ipſos teſtes, *l. 1. de fid. inſtru.*
*P. l. notionem, 99. §. 1. de ver. ſig. in P.* Inſtruere vero, eſt apparare: &
inſtrumenta ea omnia per quæ aliquid perficimus, vel quæ ad cõ-
mode vtendum aliqua re, neceſſario parantur conſiderata vna-
quaque re, ratione cuius inſtrumenta dicuntur. Sic inſtrumentũ
culturæ reperies, *l. quæſitum, de fundo inſtr. P.* & inſtrumenta do-
mus, *d. l. quæſitum eſt, §. ſi domus inſtrumentum, eod.* inſtrumenta
fundi, *l. 8. eod.* lanionis, *l. cum de lanionis, eod.* pictoris & piſcato-
ris, *l. item pictoris, eod.* Quæ inſtruunt memoriam geſtorum et-
iam inſtrumenta dicuntur, & quia maxime id fit per ſcripturas
quibus fides adhibetur, inſtrumenta vt plerunque dicuntur ſcri-
pturæ authenticæ & probatæ: vt in titu. de fide inſtrumen. Et ſic
etiam communi vſu loquendi, inſtrumenta diſtinguuntur a teſti-
bus, *c. quoniam contra, de teſti.*

¶ Apud

2 ¶ Apud† Græcos teſte Harmenopulo, lib. 1. Promtuar. cap. 8.
Inſtrumentum συνάλλαιον dicitur, commẽtarium quoddam & de-
ſcriptio conuentorum, quia communicatio conuentuſque per-
3 ſonarum, συνβολὴ dicitur. ¶ De† inſtrumento itaq; quod ſcriptu-
ra conſtat, hic agendum eſt. Sciptura porro alia publica, alia pri-
uata: vnde aliud publicum aliud dicitur priuatum inſtrumentum.
Publica ſcriptura eſt, quæ fidem ſeu probationem facit publicam
coram Iudice, ſine alio adminiculo, *Inno. in c. 1. de fid. inſtr. l. inſtru-
menta 5. l. rationes, 6. C. de probatio. l. fin. C. de re iud.* Authentica ve-
ro ſcriptura quę per manum publicam, vel per Iudicem cum triũ
teſtium vel ſaltem duorũ ſubſcriptione vel teſtimonio, facta eſt,
*glo. in d. c. 1. de fid. inſtrum. §. ſed inſtrumenta, de inſtru. fid. & cau. ca.
quoniam contra, de probatio.* vel cum alio teſtium a legibus requi-
ſito numero, ſecundum negotiorum definitam naturam, *vt in l.
fi. de codicil. C. l. fi. C. de don. cau. mor. l. hac conſultiſſima, C. de teſta.
cum ſimil.* Et vt Bald. ſcribit, *in l. Imperator, col. de ſta. homi. & in l.
2. quan. fiſc. vel priuat. &c. C. & in l. quotics, C. de iud.* inſtrumẽtum,
eſt veritas apparens, probatio probata & non probanda. Publica
manus ſeu ſcriptio, id eſt, ſcriptura notarii, vel priuata manus cũ
ſigillo publico, faciunt publicam ſcripturam, *c. 2. de fide inſtrum.*
4 ¶ Authenticum† ἀυθεντικὸν, dicitur quod cum auctoritate eſt, ſeu
cum poteſtate & efficacia, ἀυθεντία poteſtas auctoritas. Et ἀυθέντης
eſt ἀυτεξούσιος, auctor proprie poteſtatis, quanquam non ignorem
Gazam, libello περὶ μηνῶν, referre, antiquis hoc nomen tantum ſi-
gnificaſſe, τὸ ἀυτόχειρα, ſcilicet carnificem, cædis auctorem & per-
cuſſorem: vt & apud Apollonium Rhodium, ἀυθένται ἀμύκοιο, in-
terfectores Amyci. Verum poſtea, & ante mille annos ſignificare
5 cœpiſſe idem quod apud Latinos eſt auctor. ¶ Sigillum† tantam
præbet auctoritatem literis, quantam vult is qui auctoritaté con-
cedere poteſt: & proinde ſi perſona ſit publica, publica erit eius
ſigilli conſignatio, vt quando mandata ſua Iudices iubent ſigilla-
ri, *c. poſt ceſſionem, ca. 7. de probatio. facit l. nec arbitris, C. de recep. ar-
bit.* Iudicandi nempe munus, publicum eſt, *l. quippe, de iud.* ¶ Pri-
6 uata† ſcriptura contra dicetur, quæ iſtis circumſtantiis caret, & a
priuatis fit, quæ & domeſtica dicitur: & ideo aliis quam ſcribenti-
bus non ſolet obeſſe, nec contra alios probare, *l. inſtrumenta, 5. l.
rationes, 6. l. exemplo, 7. C. de prob. l. fina. de conueni. fiſc. debito. lib. 10.
C. titu. 2.*

7 ¶ Habent † ſcripturæ publicæ & priuatæ diuerſa nomina, ra-
tione eorum quibus accedunt, & quæ gerũtur. Nam publicæ di-
cuntur, inſtrumenta, contractus, obligationes, poſtquam in mũ-
dum per tabellionem redactæ ſunt, *l. contractus, de fide inſtrumen.
C.* inſtrumenta pignoris, *l. contrahitur, de pignor.* in vltima volun-
tate, teſtamentum, *l. heredes palam, de teſt. ℙ.* vel codicilli, *l fi. C. de
codicil. cum ſimil.* Scriptura quam creditor debitori facit ſoluen-
ti, in teſtimonium ſolutionis eſt acceptilatio, vulgo quitantia,
Græcis ἀποχὴ, quamuis & acceptilatio verbis fieri poſſit, ſine reali
ſolutione, in quo & acceptilatio quæ omnino liberat, differt ab
apocha, quæ non liberat ſine ſolutione, *l. ſi acceptolatum, 19. §. fin.
de accept. ℙ.* Eſt & ἀντιαποχὴ, de debito cautio facta creditori a de-
bitore in præſtationibus annuis, iuxta l. plures, de fid. inſtrumen-
to. Inuenies de apocha plures text. in iure, *l. fi. §. Titius, de cond. in-
de ℙ. l. qui tabulas, 27. §. apocha, de fur. tot. tit. de apoch. pub. lib. 10. C.*
& alibi dictam ſęcuritatem, *l. 2. 3. 4. eo.* Et ſi pro rebus, quæ in pu-
blicum cenſum deferuntur, fiat, & apocha publica nuncupãtur.
Dicuntur, & ſcripturæ publicę fidei faciendæ cauſſa euulgatæ &
exaratæ monumenta, *l. 1. de iis qui ad Eccleſ. confu. l. conſulta diua-
lia, C. de teſtam. l. in donationibus, 31. C. de donat. l. ſiue apud acta, C. de
8 tranſact.* ¶ Inſtrumenta † priuata & publica fiunt generali & cõ-
muni regula de omnibus rebus: niſi ſi nominatim prohibeatur:
veluti cautum eſt, ne publica inſtrumẽta fiant de alienatione re-
rum Eccleſiaſticarum ſine ſolemnitate ſtatuta, *l. iubemus, 14. §. iis
tabellionibus, de ſacroſ. Eccleſ. C.* nec de alienatione feudi, ſine con-
ſenſu domini, *§. calidis, de prohi. feud. alien. per Fred.* & ne teſtamẽ-
ta aliter fiant quam per permiſſum, *l iubemus, 29. §. fin. C. de teſta.*
ne de contractibus illicitis aliis & vſurariis conficiantur retine-
anturve a notariis vel priuatis.

9 ¶ Fiunt† porro ſcripturæ publicæ, a publicis perſonis, a tabel-
lionibus, notariis, non ab aliis, *c. pen. & fin. de fid. inſtrum.* Fiebant
& olim inſtrumenta, publica fide, ab argentariis, *l. ſi quis, 6. l. argen-
tarius, 10. §. 1. & fi. de eden. ℙ. Bald. ad rubri. C. eod. num. 21.* Et ſi quis
obiicit: inſtrumentum factum non fuiſſe a tabellione, is qui aſſe-
rit, debet docere fuiſſe tabellionem eum qui fecit, *deciſ. capel.
Tholoſ. 330. Paul. Caſt. in l. ſcriniarios, de teſtam. milit. C. Guid. Pap.
dec. 96. & conſ. 136.* Expediuntur & ſcripta acta ve ab amanuenſi-
bus ſeu actuariis Iudicum fide publica, *vt in l. 1. de apoch. lib. 10. C.
l. conſulta diualia, C. de teſtam. l. 1. de iis qui in Eccle. manu. C. cum ſi-
mil.* quæ intelligenda ſunt, ſi modo aliud non officiat inſtrumen-
tis, vel perſonis tabellionum, vel amanuenſium: vt quod prohibi-
tum ſit, ne inſtrumenta conſcribant: ſi eſſent publice, non ſi ſecre-
to, excommunicati, nam tunc probatio illis abrogatur, *glo. in ca.
decernimus, de ſen. excom. in Sex. c. licet eod. Felin. in c. ad probãdum,
2. col. verſ. ceterum, de re. iudic. vide Chaſſ. in §. 5. des iuſtices & dro-
icts d'icelles, ad ver. meſſagers & ſergeans, num. 7. in conſti. Burgund.*
¶ Forma † conficiendi inſtrumenta in forma probante, ponitur 10
in l. contractus, de fid. inſtrumen. C. & in Nouel. Iuſtinian. 44. 73.
176. §. inſuper, vt rogetur tabellio a partibus qui hac probante
ſcriptura egent, vt fiat & retineatur inſtrumentum: & vt hoc in-
ſtrumento factum fuiſſe contineatur, *§. nos autem, de tabellio. in
Authen. glo. in auth. ſi quis in aliquo, de eden. C. & ibi Bar. nu. 8. & 9.*
Rogatio fit primo ab iis quorum intereſt fieri, & retineri inſtru-
mentum. Et ſi de contractu agatur, ab vtroq; contrahentium: ſi
autem de aliis quæ pendent ab vnius voluntate, ab eo rogari de-
bet: vt in proteſtatione, teſtamento, & ſimilibus, *c. 1. de fid. inſtru.
vide Alexan. ab Imo. conſ. 109. in 2. par. conſil.* Secundo, Notarius
debet plane intelligere antequam perſcribat, quid geratur, vel di-
catur, *d. §. nos autem de tabellio. in Authen. l. 1. in fi. de auct. tuto. ℙ.*
Tertio, debet fieri inſtrumentum de re licita, vt dixi. Quarto, ad-
hibendi ſunt duo vel tres teſtes, aut plures, ſecundum exigẽtiam
negotii, quo de agitur: vt ſi de teſtamento, ſeptem: de codicillis,
quinque: & ſic de ſimilibus. Porro ſubſcriptio teſtium adhibito-
rum facienda eſt, pro modo & neceſſitate cõſtitutione regia im-
poſita, vel ab ſtatuto, *§. oportet, de inſtrum. fide & caut. in Auth. §. vt
ergo, de tabellio. in Authen.* alioquin ſufficit iure ſecundum Saly-
cetum, *in l. contractus, num. 13. & ibi alii, interp. de fide inſtrum. C.*
ſubſcriptio notarii, vel perſonæ publicæ. Sed neq; in actis publi-
cis auctorandis ſæpe exiguntur teſtes, *l. in donationibus, C. de dona-
ti. l. omnium, C. de teſta. l. ſcriptura. C. qui pot. in pigno. hab.* & tandem
in mundum reducitur & fit ingroſſatio ſecundum l. contractus,
de fid. inſtrumentor. Quanquam in Gallia non eadem requiran-
tur per omnia, & fit forma probans editionis inſtrumenti, etiam
in charta papyracea a notario, ſi modo per eum ſubſcribatur, vt
alibi in tabellionibus & notariis docuimus. ¶ Finis, † propter quẽ 11
inſtrumentorum formulæ editæ ſunt, & tot ſolemnitatibus te-
ſtibuſq; vallatæ, eſt probatio veritatis rei geſtæ, vel factæ, vel ſer-
monis prolati, *l. contrahitur, de pigno. ℙ. l. non figura, de actio. ℙ.* ita
probatio rei facta dicitur, quando exſtat eius inſtrumentum; *ca.
cum dilecti, de dona. c. cum olim, & ibi Panormit. de cenſib. ca. licet
cauſſam, de probatio.*

¶ Et † tum maxime inſtrumentum publicum facit fidem cer- 12
tam & manifeſtam, quando nihil contra illud opponitur, *l. fin. in
ver. manifeſtum, de reb. cred. C. gl. & Bald. in l. generali, de ſacroſan.
eccleſ. C.* & verba actus eius temporis quo quid factum fuerit, ſunt
diſpoſitiua: aut enuntiatiua actus qui potuit in inſtrumenti con-
uentione fieri: contra, ſi is alterius ſit tẽporis. Vt ſi in inſtrumento
venditionis rerum fiſcalium, dicatur, viſis ſubhaſtationibus vel
haſtis & licitationibus: nam ea relatione non probantur ſubha-
ſtationes, quæ ſunt alterius temporis, *probatur in l. ſi. ſine cen. & re-
liq. fun. compa. non poſſe. C.* Similiter, ſi in inſtrumento dictum ſit,
vendidit filius Sempronii talem rem: rei quidem venditio pro-
batur, ſed non filiatio Sempronii. Idipſum dicendum eſt de rela-
tione ſolemnitatum quæ dicuntur interueniſſe: nam illas relatio,
vel inſtrumentum non probat: ſed aliunde oportet probationes
petere, *l. optimam, C. de contrah. emt.* Eadem dicuntur de ſcriptura
publica iudiciali, in qua Iudex dicat, vt in ſententia, viſis litis con-
teſtatione, inſtrumentis & depoſitionibus teſtium, &c. nam per
illam relationem, illi actus non probantur, ſed oportet aliunde fi-
dem de illis facere, *Lanfranc. de Oria. ad c. quoniam contra, ad ver.
inſtrumentorum productiones, num. 38. & 39. de probat. dec. capel.
Tholoſ. 328.* Et qui in aliquo inſtrumento alterius mentionem fe-
cerit, illud oportet quoque exhibere, *auth. ſi quis in aliquo, C. de e-
den.* Notant tamen Bart. & Bald. *in d. l. ſi quis in aliquo,* relatum fi-
dem facere, ſi id quod refert & ipſum relatum, fuerint geſta &
tranſacta inter eaſdem partes. Exempli cauſſa ſi agatur de ſolu-
tione pretii venditionis factæ, dicaturque in inſtrumento, *Sol-
uit integram ſummam pretii debiti ex venditione eidem ſoluenti fa-
cta per accipientem, vt apparet per inſtrumentum talis diei, per me,
vel per talem retentum, l. procurator, C. de eden. l ſi qua, & l. Pom-
ponius, famil. erciſc. ℙ. l. 2. de fide inſtrumen.* ¶ Diuerſum, † ſi prius 13
inſtrumentum, vel ſcriptura relata, fuerit facta inter alias perſo-

nas. Et ita apographa ſeu deſcripta vel exempla ex publico inſtrumento non probant, niſi exhibeatur prototypus inſtrumenti ſeu autographum: aut niſi apographum fuerit tranſcriptum & collatum optime cum ſuo originali, iuſſu & auctoritate Iudicis, per aliam perſonam publicam, & legitime vocato aduerſario cuius intereſt, *Bart. & alii interp. in d. auth. ſi quis in aliquo, de eden. text. in ca. penult. & fin. de fid. inſtrumen. §. illud quoque, vt frat. fil. in Auth. l. chirographis, de admini. tut.* Idipſum dicendum eſt, de verbis relatiuis per Notarium in inſtrumento, *prout conſtat ex inſtrumento manu talis ſcripto a me viſo, Bart. Socin. conſ. 266. inci. in cauſſa, verſ. primum deciditur, & in conſ. 231. incip. cum in præſenti, 2. par. conſ. Alexan. 6. conſ. 4. vol. Lanfran. in prox. cita. loco. num. 40.* ❡ Obſer-
14 uandi † cum, iſtis caſus, in quib. neq; ipſa inſtrumenta in ſuo diſpoſito fidem faciunt nec probant. 1. Si errauerit tabellio ſeu notarius, in ſubſtantialibus inſtrumenti: vt neque is poſſit emendare errorem, niſi parte vocata & Iudice ſtatuente, ſi coram Iudice agitetur quæſtio erroris, *Bald. ad rub. de fid. inſtrument. Bart. in l. ſi librarius, & ibi text. de reg. iur. Guid. Pap. dec. 503. & dec. 131. facit l. 2. de erro. aduo.* Quod ſi extra ſubſtantialia errauerit, veluti in indictione, vel in nominibus teſtium, aut in aliis quæ ſui officii ſunt, ea poteſt corrigere etiam non vocata parte, *Lanfranc. ad d. c. quoniam contra, ad ver. inſtrumentorum productiones, num. 36. Felin. & Panorm. num. 3. ad c. ex literis, de fid. inſtrum.* niſi dicatur inſtrumentum falſum. Nam tunc, nullo modo poteſt illud corrigere. Aliud enim eſt errare, aliud falſum committere. Et emendari nō poteſt quod factum, tabellioni infert officii priuationem, *Bald. ad d. rubr. de fid. inſtrumen. facit l. ſi quis ex argentariis, §. coguntur, de eden. P.* Liquet etiam, inſtrumentum falſum non probare, neque ſuſpectum de falſo committendo fidem facere: puta, quia alias condemnatus de falſo is fuerit, *l. 3. de fide inſtrum. C.* vel quia raſura ſit in loco ſubſtantiali, aut circa annum aut diem, aut ſimilia, ex quibus tantum redditur falſum inſtrumentum, *Bald. Iaſ. & Sal. in l. ſi ex falſis, C. de tranſact. Felin. in c. fraternitas, de hæret. & in c. ex literis, de fid. inſtrumen. Bald. in l. fina. C. de edict. diui Adr. tol.* maxime dum agitur de negotiis quæ pro ſolemnitate requirunt ſcripturam, vt ſcribit Guid. Papæ. deciſ. 582.

15 ❡ Atque † cauere ſibi debet qui huiuſmodi inſtrumentum de falſo ſuſpectum producit: nam qui falſo vtitur inſtrumento, etiam ſi non commiſerit falſum, eadem pœna qua tenetur qui fecit, plectitur, *l. pen. C. de probat. l. 3. de fid. inſtrumen.* Effugiet tamen pœnam falſi, ſi dum interpellatur, num velit inſtrumento eo vti, inficietur ſe velle vti, *d. l. 3. eo. C.* Verumtamen notandum eſt pendente quæſtione de falſo, ſtari inſtrumento, & interim debitorem qui excipit de falſo, ſecundum illud conſignare debitum debere, *l. ſatis apertum ad leg. Corn. de falſ. C.* Mouet hic quæſtionem Papæus, num is qui aliquando pro ſe produxit inſtrumentum, vel qui ſubſcripſit, poſſit illud arguere falſi, quando contra eum producitur: eum vide cum diſtinctione deciſ. 503.

16 ❡ Secundo † fides abrogatur inſtrumento per teſtes ei contrarios. Diſtinctio tamen adhibetur: nam ſi teſtis contrarius ſit vnus ex teſtibus adhibitus inſtrumento ſuper numerum requiſitum, qui contra quam ſcriptum eſt aſſeueret, ceteris comprobantibus ſcripta nō officit: quod ſi ſit de numerariis teſtibus requiſitis qui reſiſtat deſcriptis, reddit ſuſpectum, vt fides ei non adhibeatur, *in l. 1. § fina. quem. teſta. aperi.* Multo magis ſi ſint duo vel plures teſtes adhibiti, qui inficientur ea dicta fuiſſe quæ ſcripto comprehenſa ſunt, *l. cum Ioannes Heremita, & ibi Felin. de fid. inſtrum.* Supernumerarii vero aut extra teſtimonii rogationem adhibiti, etſi diffiteantur, non obſunt, *Bartholom. Socin. conſ. 94. incip. præſtantiſſimi, 2. partis.* Sed remanebit nihilominus controuerſia erroris, ſi teſtes vnum ſuppoſitum inſtrumentum pro alio ſubſcripſerint, cum teſtes inſtrumentum ſubſcripſiſſe dicuntur, vt in l. ſi. C. plus val. quod agi. Quid autem ſtatuendum ſit, ſi debitor vel alius dicat, de ſcripto non fuiſſe rogatum notarium, ſed de alio, conſule l. optimam, C. de contrah. ſtipul. Quod ſi dicat rogatum quidem fuiſſe notarium, ſed aliud fuiſſe geſtum: puta dicat ſimulatum negotium, id probari non poteſt per teſtes, ſed per aliud inſtrumentum, *l. generaliter, & ibi Bart. & Bald. C. de non nume. pecun.* At ſi neget adfuiſſe ſolemnitatem quam interueniſſe refert inſtrumētum, probare poterit per teſtes. Et plus valet quod agitur, quam quod ſimulate fit, *rub. plus vale. & l. 1. 2. 3. 4. lib. 4. C. titu. 22. l. ſi cum pater veſter, 17. ad Senat. Velleia. C.* Veluti quando quod turpiſſimum eſt, vel doloſum: ſi vxoris nomine maritus contrahat, nam certe non vxori, ſed marito acquiritur, *d. l. ſi cum pater, idem in l. cum ea quæ, 17. de tranſact. C. cum ſimil. ibi not.* videlicet quando inſtrumentum ſimulatum docetur. Alioquin enim ſtatur verbis inſtrumenti, nec vlla interpretatio aliena admittitur, *l. ad probationem, 21. de probatio. C. & ibi Bald. & in l. lecta, 46. in 2. oppo. ſi certum pet. P. id firmare videtur expreſſe l. cum precibus, 18. de probatio.*

❡ Tertio, † inſtrumenta fidem amittunt contra alias perſonas, 17
quam quæ in illis conuenerint, *Socin. conſ. 39. incipit, viſis, vol. 1. per c. illud, de præſum. per reg. res inter alios acta & o. l. iuriſgentium, §. ante omnia, de pact. P. rubri. res inter alios acta C.* niſi heredes, vel ſucceſſores ſint vniuerſales conuenientium, in quos tranſeūt eadem iura & actiones actiue & paſſiue, *l. veteres, C. de contra. & commit. ſtip. l. vni, vt actio ab hered. & c. C. l. ſi neceſſariis, §. de vendendo, de pignor. actio. P. Iaſon, in l. 2. §. item ſi in facto, in 1. notabili, de verbor. oblig. P.*

❡ Quarto, † ſi diuerſæ aut contrariæ ſcripturæ producantur, 18
mutuo ſibi fidem abrogant, *l. ſcriptura, 4. C. de fid. inſtrum. c. imputari. eod. apud Grego.* Idipſum & quando eadem ſcriptura ſibi repugnantia continet, *l. vbi repugnantia, 149. de reg. iur. in l. ſi Titius, de cond. inſtitut. l. fin. §. 1. de vulga. P.* aut ambigua omnino, *l. ſi fuerit, de reb. dub. P. l. via, de ſeruit. l. per ſeruum, §. deniq;, de vſu & habita. P.* Si calumnioſa & mendacia ſint, *l. 1. & fin de fid. inſtrum. P. ca. ſi ad ſcripturas, 9. diſtinct.*

❡ Quinto, † inſtrumenta cancellata non faciunt probationem 19
aut fidem debiti, *l. ſi chirographum, de probat. P. §. 1. quibus mod. tolli. oblig.* niſi in quantum per illa conſtet debitum fuiſſe: nam priuatio præſupponit habitum, *l. Iulianus, de diuort. P. l. decem, de ver. oblig. P.* Quo fit, vt neq; inſtrumenta cancellata poſſint deſcribi vel ingroſſari, aut in mundum vocari, niſi parte vocata cuius intereſt, eaque conſentiente: vt diſputat & probat deciſio capellæ Tholoſ. 417. Fieret enim interdum, vt bis per inſtrumentum debitum peteretur, quod bona fides non patitur, *l. bona fides, de regu. iur. P.*

❡ Sexto, † ſcripturæ priuatæ, chirographa, rationes, annota- 20
tiones, inuentaria particularia, non faciunt fidem, nec probationem pro eo qui ſcripſit ſibi, aut in præiudicium alterius, idq; per ſe, *l. inſtrumento, 5. l. rationes, 6. l. exemplo, 7 de fide inſtrum. C. l. fin. de conueni. fiſ. debito. lib. 10. C.* cum aliis autem adminiculis, de quibus Guid. Papæ. deciſ. 441. probare poſſunt, *facit l. non nudis, & l. non epiſtolis, C. de probat.* Contra ſcribentem vero probabunt, ſi conſtet, vel confiteatur ſe ſcripſiſſe, vel ſubſcripſiſſe, *l. plures, de fid. inſtrum. C.* vel inficiatus conuincatur, aut teſtibus, aut comparatione literarum, *l. comparationes, & l. & ſi contractus, eod. cum auth. quæ ibi ſequitur, §. 1. & § ſi vero, de inſtru. fid. & caut. Authen. ſi quis, qui pot. in pig. hab. C.* In ſumma autem, in quibus cauſſis ſcriptura priuata facit pro ſcribente, *vt in l. Nezennius, de nego. geſt. P.* in heredem facit contra ſcribentem, *Ange. in l. quidem §. nummularios, de eden. P. gl. & Alex. in l. publica, depoſ. l. ſi quidem, de exceptio. P.* Et ſi epiſtola memorans debitum ſcripta ſit per debitorem, vel ab alio per ipſum ſubſcripta, contra debitorem probabit, *l. ſi contra per calumniam, de epiſc. & cler. C. l. ſi filius, ad Maced. P.*

❡ Ceterum, † rationes cur probatio fiat per ſcripturam, veri- 21
tatis indagandæ & conſeruandæ neceſſitas docet. Ne liceat ipſis teſtibus variare: & vt memoria retineatur geſtorum firmior & certior, *l. contrahitur, de pigno. P. l. in re, de fide inſtrum.* Sed & plura ſunt quæ ſine ſcriptura perfici vel geri legitime non poſſunt, quæ enumerat Guid. Papæ. deciſio. 582. Sunt & poſtremo obligationes efficaciores ex quibuſdam ſcripturis, vt tradunt de inſtrumētis dictis *garentigiatis*, quæ habent paratam exſecutionem, *vide interp. in l. ſi quis pecuniam, C. depoſ. Bald. in l. 1. C. de exſecut. rei iudic.* de quibus vide fuſe Barth. Chaſſ. ad §. 6. ad ver. *contre les principals obligez* tit. *Des cenſes.* in conſuet. Burgun.

## De Purgatione vtraque, vulgari, & canonica.

### Cap. 15.

Lib. 5. Decret. tit. 44. & 45.


1 *Purgatio quid. Diuiſio in vulgarem, & canonicam. num. 2. & ſequen.*
3 *Purgatio vtraque pro quo indicatur.*
4 *Purgationis vulgaris forma & ſpecies. & ſeq. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.*
11 *Purgationes vulgares ſublatæ.*
12 *Dæmonum quædam præſtigia.*
13 *Purgationes Idololatrorum, teda, ouo, & ſulphure.*
14 *Purgatio iuratoria quomodo fiat: & vbi, nu. 16.*
15 *Compurgatores iuratoriæ purgationis quorſum adhibiti, & quales eſſe debeant.*


17 Com-

17 *Compurgatorum numerus qui intus eſſe debeat.*
18 *Iuramentum purgatorium in quibus exonerat iurantem.*
19 *Purgatio canonica a quo indicitur, & quando releuat. Eius effe-*
*ctus, abſolutio, vel condemnatio. nu. 20.*
21 *Sententia criminis, & erronea num tranſeat in rem iudica-*
*tam.*
22 *Iuramenti purgatorii neceſſitas, & rationes.*
*Iure diuino receptum. nu. 23.*

1 INter † ſpecies probationis vel iuſtificationis vt dicunt, ponitur
purgatio, quæ eſt præſumtionum, indiciorum, vel accuſationū
non probatarum, perfecta eliſio. Vel purgare, eſt ſe excuſare, &
innocentiam ſuam oſtendere: vt in l. is qui reus, de public. iudic.
P. l. fin. de acquiren. rer. dom. P. cum ſimilibus. Sicuti & per tor-
turam diximus elidi indicia, ſi nihil faſſus fuerit qui tormēta paſ-
ſus eſt. Et videtur eſſe tortura ſpecies purgationis canonicæ. ¶ Di-
2 cimus † autē purgationē eſſe, vel vulgarem, vel canonicam. Vul-
garis erat, quæ a vulgo erat inuenta vel ſeruata: canonica, quæ viſa
3 eſt iuri idonea, & recepta fuit a ſacris canonibus. ¶ Fit † purgatio
vtraque, pro crimine illato præſumto veriſimiliter, ſed non ple-
ne probato, *ca. 1. 3. & ca. quoties, 5. ca. cum in iuuentute 12. de purga.*
*cano.* quando infamatio graue generat ſcandalum, quo caſu etiam
inito tunc purgatio canonica imponitur, *c. inter ſolicitudines, 10.*
*eod. c. qualiter, § 1. de accuſa.* Si tamen notorium crimen eſſet, non
eſſet inducenda purgatio, ſed punitio, *c. 4. & c. pen. ca. cum dilectis,*
*de purg. cano.* Late patent crimina quibus quis infamari poteſt, &
de illis quoque purgationis tractatio diffuſa eſt. Sed & de ſurre-
ptione reſcripti fieri poterit, *c. ex parte, de offi. ordina.* & de ciuilib.
interdum non plene probatis, *vt ca. quod ad conſultationem, de*
*ſent. & re iudic.* Fieri debet purgatio ab eo, qui oneratur aliquo
crimine, vel præſumtione, vel diffamatione: ſi modo non fuerit
alias deprehenſus in furto, periurio, aut falſo teſtimonio, *ca. 1. de*
*purg. cano.* Adduntur & compurgatores, *d. c. 1. & fin. eod.* ¶ Forma
4 † & modus purgationis vulgaris erat multiplex ſecundum diuer-
ſos mores corruptos vulgi, & ideo prohibita, *c. ex tuorum, eo.* Cu-
iuſmodi quæ fiebat per aquam frigidam, per conſecratam & be-
nedictam, bibitam, *c. ſententiam, ne cleric. vel mona.* Forſan vole-
bant imitari aquam Zeli, quam Deus ſtatuerat in lege antiqua,
Numeror. 5. pro detegenda ſuſpecta de adulterio, *ca. in libro nam-*
*que, 2. q. 6.* Fuit & ſublatum examen aquæ frigidæ, in Capitularib.
Caroli Magni, capit. fin. cap. 26. Et in legib. Langobard. *l. vt exa-*
5 *men, tit. quali. quis ſe defend. deb. lib. 2. leg. Lang.* Sic † ſtatuiſſe Lo-
tharium refertur, *Examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant a*
*miſſis omnibus modis interdicatur, vt non vlterius fiat.* Fiebat etiam
per aquam feruentem, quæ etiam reprobata eſt, *d. c. ſententiam,*
*ne cler. vel mona. ca. omnibus, c. conſuluiſti, c. Mennam 2. q. 5.* de qua
purgatione vide l. ſi quis ex leui, de homicid. liber. homin. & lib. 1.
leg. Langobard.

6 ¶ Item † & alia quæ fiebat per ferrum candens, quando ex ta-
ctu non ſequebatur aduſtio, *proxime cita. iurib.* Refert Iacobus
Meierus, lib. 5. annalium Flandriæ, Philippum comitem Neo-
portuenſem, anno Domini 1164. edidiſſe leges nouas, inter quas
hæ, *Si quis vulnus in nocte acceptum alicui imputauerit, ſi ſcabinis*
*dignum videbitur, ferro candenti ſe excuſabit accuſatus, ſi aufuge-*
*rit, manum perdit.* Item, *Si fur vocatus accuſatus fuerit, ferro can-*
*denti ſe excuſabit: ſi culpabilis permanſerit, ſuſpendetur: & ſi accu-*
7 *ſans in ante iuramento defecerit, accuſatus liber erit.* ¶ In † Capitu-
laribus Caroli Magni facta dicitur hæc probatio, ad decem vo-
meres ignitos, *in Capitu. Caroli Mag. & ca. legum quæ data ſunt pro*
*occiſio. clerico. c. 5. De eo qui occidit,* inquit lex *proximum ſuum me-*
*tuens ne in ſeruitium, ſeu in ſeruitutem per eum traheretur, ſi negaue-*
*rit ſe illum occidiſſe, ad nouem vomeres ignitos iudicio domini exami-*
8 *nandus accedat.* ¶ Erat † & vulgare examen crucis, quod prohibe-
tur lege Langobardica hac, *l. ſancitum, tit. qual. quiſſe defend. deb.*
*lib. 2. leg. Langob. Sancitum eſt, vt nullus deinceps quamlibet exa-*
*minationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio quæ glorificata*
*eſt cuiuſlibet temeritate contemtui habeatur.* Vt merito caſtigandi
ſunt aniles mores, vt ſortilegia, dum furtum indagant, vel per A-
ſtrolabii inſpectionem, cap. 1. de ſortileg. vel per immiſſionem
breuium in aquam frigidam vel benedictam: vel per cribrum &
forfices, inuocatis perperam diuis, in quibus vulgus maxime
abutitur.

9 ¶ Refert † Gregorius Turonenſis, *lib. 2. hiſtor. Franc. c. 1.* ſpe-
ciem aliam purgationis vulgaris, dum ſcribit Beatum Britium E-
piſcopum Turonenſem, calumnia impetitum a populo, mulie-
rem impræegnaſſe, ad quam cubicularius eius veſtimenta deferre
ſolitus erat abluenda, eumque innocentem: tamen vt ſatis face-
ret populo, prunas ardentes pileo impoſuiſſe, easque ad ſe proxi-
mius amotas ad ſepulcrum Sancti Martini vna cum populo co-
mitante, illæſis veſtibus acceſſiſſe & detuliſſe, dicentem ſe ita im-
pollutum eſſe a muliere. Huicque purgationi potius crediſſe
populum quam præcedenti miraculo, quod certe diuinius. Nam
vt idem ſcribit, cum Britius negaret ſe ſcelus commiſiſſe: iuſſit ad
ſe infantem ex ea muliere editum adferri, *Halic. lib. 2. hiſtor. Rom.*
*Liuius, Valer. Max. lib. 8. c. 1.* qui cum oblatus fuiſſet, triginta tan-
tum dierum exſiſtens, adiuratus per Ieſum Chriſtum locutus eſt,
non fuiſſe ex eo genitum. ¶ Meminit † de alia ſpecie purgationis 10
Dionyſ. Halicarnaſſ. qua Tuſcia Veſtalis ſuſpecta violatæ pudici-
tiæ ſe expurgauit. Ea enim falſis teſtibus accuſata, iuſſa pro ſe di-
cere, petiit Tyberim, Sacerdotum permiſſu, & proſequente po-
pulo hauſit aquam cribro vacuo, eamque vſque in forum perla-
tum effudit ad pedes Pontificum, & liberata eſt, accuſatore nec
viuo poſtea nec mortuo comparente. ¶ Fiebat † & per duellum 11
purgatio, de quo poſtea, quæ etiam ſublata eſt, *c. 1. & 2. de vulgar.*
*ca monomachia, 2. q. 5.* vt ceteræ omnes purgationes vulgares, in
quibus potius Deus tentaretur & ad iracundiam prouocaretur,
quam verum haberetur Innocentiæ teſtimonium, *c. ſi. de pur. ca-*
*no. c. quæritur, 22. q. 2. c. ſi nulla, 23. q. fin.* Et ſubrogata vel recepta
tantū purgatio iuratoria, quæ canonica dicta eſt. Sicuti enim nec
omnia Deus punit in hoc ſeculo delicta, ſed ſuo iudicio quædam
reſeruat: ſic & non omnia vult ad punitionem vel ad temerariam
accuſationem reuelare, *c. ſi omnia, 6. q. 1.* Et occulta non ſunt fori
iſtius ſeculi, ſed Dei ſolius, *ca. compeſcant, 32. diſt.* Sæpe etiam per
fallax hoc iudicium vulgare tentato Deo ex præſumtionibus in-
nocens damnabatur impie, *c. ſignificantibus, de purgat. vulg. P.* &
dæmones miracula imitabantur & perſtringebant oculos vt vel
innocenti illuderent, vel impium liberarent meritis pœnis. Sic e-
nim etiam D. Auguſtinus, lib. 12. cap. 16. Ciuitatis Dei. ¶ Dæmo-
num † præſtigiis concedit factum Tuſciæ: nam etiam, vt diximus, 12
poſtea nec viuus nec mortuus comparuit accuſator. Et quod ſcri-
bunt Liuius lib. 2. de bello Punico, & Ouid. in Faſtis, Valer. Max.
& alii de Q. Claudia Veſtali, quæ cum aduerſo pudicitiæ rumore
laboraret, quod cultus eſſet ſtudioſior, cum nauis qua mater vt
dicebant Idololatræ Deum, vehebatur ex Peſſimunte Phrygiæ
Romam, hæſiſſet in Tyberi, nec vi virum boumq; moueri poſſet,
diſcincta zona & naui illigata, precata eſt illam Deam falſam, vt ſi
caſtam ſe noſſet illam ſequeretur, nauemq; duxit. Item quod ſcri-
bunt de Actio Nauio Augure, qui cotem diſſecuit nouacula, *Cic.*
*de diui. lib. 1. Liu. in 1.* ¶ Improbant † iſta & ſimilia omnia pagani- 13
ca & præſtigia Chriſtiani, & expiationes per illa facta: vt expiatio-
nes eiuſdem idololatriæ, quæ fiebant tribus modis, teda, ouo, ſul-
phure, *vide Apuleium, de Aſino aureo, lib.* 11. neque probamus
eos qui

*—cuperent luſtrari, ſi qua darentur.*
*Sulphura cum tedis? Satyrographus, de ſulphuris expiatione, Pli-*
*nius lib. 35.* quamuis
*Et veniat quæ luſtret anus lectumq; locumque,*
*Deferat & tremula ſulphur & ora manu. Ouid. de arte aman.*

Hæc itaque rejecta cum ſint, & τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠά id eſt, *oua*
*purgationum,* vt ait Lucianus, *in dia. cui tit.* κατάπλους ἢ τύραννος. iu-
ramenti ſola purgatio remanet, *ca. ſi quis, 4. de purg. cano.* ¶ Eius
† forma eſt, vt qui infamatus eſt de aliquo crimine veriſimilibus 14
ſuſpicionibus, iuret ſuper ſancta Euangelia Romæ aliquando ad
beati Petri corpus, *vt c. habet, & c. Mennam, 2. q. 5.* ſe immunem
eſſe ab eo delicto, neque illud commiſiſſe per ſe, aut per impoſi-
tam perſonā, ſi id crimen exigat, *c. quoties, 5. de purg. ca. c. laudabilē,*
*§. fin. de frigid. & male.* ¶ Accedunt † & compurgatores, id eſt, viri 15
alii qui pariter iurant ſe credere, quod qui iurauit, vere iurauit: &
quod ſecundum ſuam conſcientiam, ille ſit immunis ab illato cri-
mine, *d. c. quoties & c. conſtitutus, 9. & c. de teſtibus, 13. de purg. cano.*
Compurgatores porro, debent eſſe honeſtæ perſonæ & vicinæ,
quæ nouerint viuendi ritum ipſius qui ſe purgat, *d. c. conſtitutus,*
*& c. cum dilectus, 11. & c. ſin. ca. cum P. Manconella, c. quanto, &*
*c. quoſdam, de præſumt.* honeſtate in illis conſiderata vt ſint bonæ
famæ nec ſint pro aliquo crimine condemnati, *d. cap. conſtitutus.*
¶ Locus † purgationis faciendæ dicitur is idoneus, vbi infamatio 16
apparet: vt ſi a populo infametur, coram populo fiat iuramenti
purgatio & compurgatio, *arg. c. 1. de pœ. & ca. ex tua, de ſimonia.* Si
inter clericos tantum, coram illis, *ca. 2. in fine, de purgat. cano. ca.*
*qualiter, in 2. § fin. de accuſat.* Vt ibi moriatur & pereat ſeu abo-
leatur fama, vbi peſſime orta dicitur, & tollatur de loco ſcandalū,

*c. Mennam, 2. q. 5. c. illud, 33. diſt. c. de crimine, 15. q. 5. c. poſtquam, de elect. c. ſi peccauerit, 2. q. 1. c. inter ſolicitudines §. attendentes, de purg. cano. auth. qua in prouincia, vbi de cri. agi opor.*

17 ❡ Compurgatorum † numerus non eſt certus, & idem omnibus perſonis definitus iure. Nam interdum, cum ſeptima manu ſe purgare iubentur in cauſſa matrimonii ſoluendi, quæ ſe a coniugali congreſſu intactas dicunt, *c. laudabilem, de frigi. & malefic.* Mandat Lucius tertius ſummus Pontifex fieri purgationem ſeptima aut quinta manu ſicut expedire iudici videbitur, *c. ex tuarum, 8. de purga. cano. c. ſi legitimi, c. quoties, 2. q. 5.* In legibus Ripuariis tit. 19. de ictu ſeruorum ſex ſufficiunt. Innocentius tertius iubet decanum purgare ſe ab infamia & criminibus illatis nõ probatis plene, cum decimaquarta manu: id eſt, cum quatuordecim compurgatoribus ſui ordinis, *c. inter ſolicitudines, eod. de purg. can.* Concilium Triburienſe, nobili addit compurgatores 12. *c. 1. eod. ca. nobilis, 2. q. 5.* Alibi & plures, vel pauciores inueniuntur neceſſarii: vt recte in hac quæſtione definiamus, ex Iudicis arbitrio cõpurgatorum numerum adhibẽdum eſſe: is autem eum determinabit, pro modo infamiæ, & pro grauitate criminis, & habita ratione perſonarum, & ſcandali ſuborti ex diffamatione, *c. ex tuarum, ibi, ſicut expedire agnoueris gloſſ. in c. 1 in verb. duodecim, gloſſ ca. inter ſolicitudines, in ver. decimaquarta manu, de purg. can. in ca. omnibus, ca. preſbyter ſi. 2. q. 5.* vt & duorum compurgatorum numerus interdum ſufficiat, *c. cum in iuuentute, 12. de purga. cano.*

18 ❡ Sed † & ſolius ſe purgantis iuramentum purgatorium ſufficit interdum, in quibus confeſſio eius vel negatio exigitur, vt in iuramento calumniæ explicauimus, illudque docetur in exemplis l. fina. §. licentia, de iur. deliber. C. l. eos qui, 26. §. fina. de vſur. C. l. præſenti, §. ſicubi de iis qui ad eccleſ. confug. l. fin. de fide inſtrum. C. l. fin. §. fin. de bon. aucto. iud. poſſid. C. l. fina. §. ſin autem dubitatur, de iure domin. impet. C. l. 4. §. ſed ſi inſcio, de eden. P. l. properandum, §. 2. de iudic. C. l. ſi quis decurio, ad leg. Cornel. de falſ. C. l. ſi de meis, §. fin. de arbit. P. l. 1. §. ſi quis argentum, depoſ. l. actione, §. 1. de furt. l. Marcellus, rer. amotar. P. auth. nouo iure, de pœnis iud. qui male iudi. C. Sed & in concilio Guarmacienſi, ſingularis purgatio ſeruata, docetur pro deprehendendo furto in monaſterio facto, exhibita communione, cum his verbis, *corpus Domini ſit tibi hodie ad probationem, c. ſæpe contingit, 2. q. 5.* Quæ tamen formula ſublata fertur, eo quod ſuſpectis non eſt danda eucharistia, *c. dilecti, de purg. cano. ca. tribus, de conſe. diſt. 2.*

19 ❡ Sed † non cuiuſque Iudicis eſt, purgationem infamato ſtatuere, ſed tantum eius qui de negotio cognoſcit, vel cognoſcere debet de quo infamatur: alioquin ſi ab alio ſtatuatur ea purgatio, non releuat infamatum, *c. cum dilectis, 15. in ſi. de purg. cano. ca. ad audientiam, de conſuet. ca. licet, de offic. lega. cum ſimil.* Quia non prius peruenitur ad purgationem, quam cognitum ſit ab eo qui de criminibus cognoſcere poteſt, an infamatio vel accuſatio ſufficiat ad condemnationem: nam tunc ſi ſufficiat condemnat, nec opus eſt alia probatione ſeu purgatione, vt in notariis, *d. c. cum dilectis, & ca. ſi quis de gradu, de purg. cano. ca. euidentia, de accuſ. c. de manifeſta, 2. q. 1.* an vero probata non ſit, ſed ſit veriſimilis aut non veriſimilis: vt ſi veriſimilis ſtatuat purgationem, *d. c. ſi quis, de gradu,* ſi non ſit veriſimilis, non ſtatuat, *ca. cum in iuuentute, 12. de purg. cano* Sed & prius quam quis cogatur purgationem illam ſolemnem facere, vocari debet & examinari de fama, ne inauditus condemnetur aut abſens, contra iuris diuini & humani regulas, *c. Deus omnipotens, 2. q. 1. c. de illicita, 24. q. 3. l. inauditum, ad l. Cor. de ſica. P. l. abſentem, de pœn. cum ſimil. d. c. cum dilectis, circa finem, & c. cum ſit Romana de appell.* Sententia quoque ea de re ferenda. Quæ omnia non poſſunt fieri niſi ab idoneo Iudice & competẽte. Alioquin ſi fiant a non ſuo, nullus ſequetur effectus, *c. nouit, de iud.* nam poteſt cogi in diffamatione & ſcandalo vt ſe purget infamatus, *c. 4. §. fin. & c. 2. & c. nos inter 6. de purg. cano c. ſi mala, 2. q. 5.* niſi ad ſuperiorem iudicem appellauerit, *d. c. nos inter, & c. licet, & c. irrefragabili, de offi. ordina.* Præfigit ordinem iudicialem antequam fiat purgatio, gloſſ. ad cap. 2. ad ver. *ſuſpendatur*, & gloſſ. ad cap. inter ſolicitudines, ad ver. *conſtitutio*, de purg. cano.

20 ❡ Sequitur † autem ex bene ſtatuta purgatione per Iudicem, vt ſi nolit ſe purgare, vel ſi in purgatione defecerit qui iuſſus eſt ſe purgare, habeatur pro condemnato & conuicto, *d. c. inter ſolicitudines, §. quod ſi forſitan, & c. 2. de purg. cano.* quemadmodum is qui de calumnia iurare recuſat, *c. fin. §. 1. de iura. cal. auth. principales, §. ſi quis autem, de iureiur. prop. cal. dan.* Et nolle ſe ſacramento hoc obſtringere purgationis, reatus indicium viſum eſt Victorino. Is enim cum Germaniæ præeſſet, conatus eſt domi ſemetis arbitris, legato ſuo perſuadere, ne ſe pecunia corrumpi ſineret: cumque illud non impetraret, ad tribunal venit, iurauit ſe nunquam vlla munera accepiſſe, neque quoad viueret accepturum. Mox idem præcipit legato, vt ſimili ſacramento ſe obſtringeret, is conditionem recuſauit, quare eum abdicari officio iuſſit, vt ſcribit Xiphilinus in Commodo. Iurare etiam cogebantur olim lictores oliuarum, neque oleum, neque oleam ſurripuiſſe, neq; alium quemquam ſuo dolo malo. Aliter enim neque argentum & mercedem, neque oleum oleaſve habebant, vt ait Cato, lib. de re ruſti. cap. 144. & 145. Quod ſi purgatione negauerit ſe commiſiſſe de quo infamabatur, & innocentiam oſtenderit per compurgatores, abſoluitur & dimittitur in pace, *c. ex tuarum, in ſi. & c. ſi. in ſi. de purg. can.* Explicat autem gl. fin. in cap. ex tuarum, 8. de purgat. canoni. eum qui legitimo modo & coram ſuo Iudice ſe purgauit, maxime præſente accuſatore, non poſſe iterum accuſari de eodem crimine: ſed perinde haberi ac ſi ſententia abſolutus fuiſſet, cum iuſiurandum hoc videatur eſſe deciſorium, & maioris auctoritatis, quam tranſactio aut res iudicata, *l. 2. & 3. §. 1. de iureiur. P.* Et ſaltem idem conſequimur per iuramentum, quod per ſententiam conſequeremur, *l. ſed & ſi, §. ſi cum de hereditate, de iureiur. P.* Item quod popularis actio exſtinguatur iureiurando citra colluſionem præſtito, *l. eum qui, §. in popularibus, eod.* Nec de eodem crimine bis quærendum eſt, *l. licet nauta caupo ſtab. P. ca. de his, de accuſ. ca. ſi illic. 23. q. 3.* niſi noua infamia ſuperuenerit, quæ firmet & probare videatur priorem abolitã iuramento purgatorio. Nam ex ea cauſſa abſolutus, iterum accuſari poteſt, *c. veniens, de accuſa, c. admonuere, 33. q. 2.* & eidem iudici noua purgatio, *c. ceterum, de iur. cal. ca. cum in iuuentute, de purg. cano. c. ceterum, de teſt. cogen. ca. paſtoralis, de excep. d. c. Mennam, 2. q. 5.* quemadmodum diximus ex nouis indiciis repeti poſſe torturam ſeu quæſtionem, *hoc lib. C. de tor.*

❡ Et † notantur etiam caſus repetitionis accuſationis, in l. 3. de prænaricatio. P. in l. ſi cui, §. iiſdem criminibus, de accuſat. P. ca. multi, 2. quæſt. 1. Vnde & cautius in Gallia, reus delatus cum per ſententiam accuſatione liberatur, numquam abſoluitur abſolute, ſed dicitur amplius eſſe inquirendum: interim autem relaxari. Semper enim veritati locus eſſe debet: & errore detecto, & probationibus factis, purgatio quæ habet probationem tantum præſumtam rei veritate elidetur, *c. ſignificantibus, 2. de purga. vulg.* Et multo magis, ſi purgatio ſit vulgaris, per quam quis abſolutus ſit vel damnatus: nam ea abſolutio non tranſit in rem iudicatam. Inſpicienda namque cauſſa fundamentalis ſententiæ, nempe dubiũ num res eſſet vel nõ eſſet, nũ crimen vel non. Et proinde ſublata cauſſa, & dubio certo facto, ceſſabit ſententia & corruet, *ca. cum ceſſante, de appella. l. adigere, §. quamuis, de iur. patr. c. cum Paulus, 1. q. 1.* Neque hic verum eſt, quod ſententia per errorem lata tranſeat in rem iudicatã, ſi nulla appellatione ſuſpendatur, quod examinat glo. ad cap. 2. de purga, vulga. & in ſumma eius titu. Hoſtienſ. quos videto. 21

❡ Rationum † porro purgationis inductæ vna, vt ſaltem aliqua via delatum crimen & non probatum plene, poſſit aliqua certa ſententia definiri: quia ſententia vel abſolutionem, vel condemnationem habere debet, *l. 1. de re iud.* Item 2. vt ſcãdalum quod ex infamia naſcitur criminis impoſiti, aboleatur in bonos & graues ſaltem, *c. pen. de pur. ca. c. ecce, 24. q. 3. ca. omnibus, 2. q. 5.* Quod non ſufficit bonum eſſe, ſed etiam exigatur, potiſſimum in perſonis digniotibus, vita quæ aliis ſcandalo eſſe non poſſit, & ſit ſine ſuſpicione etiam mali, *c. 2. de purg. cano. c. nolo 12. q. 1. & c. non ſunt, 12. q. 11. ad Roma. 12. 2 Corinth. 8. c. ſi mala fama, 2. q. 5.* Propter nos conſcientia noſtra nobis neceſſaria eſt, & 22

*——hic murus aneus eſto,*

*Nil conſcire ſibi, & nulla palleſcere culpa.*

❡ Propter † alios tamen & neceſſaria bona fama, *d. c. nolo.* Quare & neceſſarium purgatorium iuramentum, receptum eſt lege diuina, vt Deuter. 2. *Si inueniatur in terra cadauer hominis occiſi, & ignoretur reus, ſeniores & maiores natu egredientur, & iurabunt dicentes, manus noſtra non effuderunt ſanguinem hunc.* Exſtat & alia lex, Exod. 22. *Si quis amico commendauerit pecuniam aut vas in cuſtodiam, & ab eo qui ſuſceperit, furto ablata fuerint, ſi inuenitur fur duplicare debet: ſi latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit quod non extenderit manus ad res proximi ſui ad perpetrandam fraudem, &c.* Sed & quando de conſcientia alicuius & periculo animæ quæſtio eſt, iuramento eius creditur: quando in contrarium ſunt probationes, *l. fin. in fine, de iure delibe. C.* 23

De

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

## De Duello & Monomachia, ſeu Singulari certamine Cap. 16.

1 *Duellum prohibitum.*
2 *Duellum, & duellatores quid olim, & nunc.*
3 *Monomachiæ & duelli ſpecies.*
4 *Certamina ſingularia militaria. & nu. 5.*
6 *Monomachia olim quadam ob neceſſitatem quandam permiſſa & facta.*
7 *Duellum vbi permiſſum fuit.*
*Pro quibus criminibus permiſſum.*
*Quis permittere poſſit. Quæ forma duelli indicendi & pugnãdi.*
*Pignus certaminis vt mittatur, quomodo a iudice ſtatuatur.*
*Certaminis Iudex quis eſſe debeat.*
*Catadromus duelli quantæ amplitudinis.*
*Modus & forma vincendi ad duellum & pugnandi. Proteſtationes pugnaturorum, & iuramentum. De pugna. Poſt certamẽ quid ſtatuendum. Effectus. Et per quos duellum fiat. num. 8.9. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21. & 22.*
23 *Duelli permiſſi finis, probatio occultorum.*
*Et ibi rationes eius.*
24 *Torneamentorum permiſſiones, & deregationes.*
25 *Haſtiludia an prohibita.*

1 INter † ſpecies purgationis vulgaris, duellum ſeu ſingulare certamen, aut monomachia ponitur, in c. 2. de purgati. vulg. quæ
etiam ibi prohibita eſt, & in c. monomachiam, 2. q. 5. ❡ Duellum
2 † tamen antiqui idem quod bellum dixerunt. Vnde & per duelles hoſtes, & Bellona duellona dicta, vt auctor in 6. de ling. Latin. Varro, Plautus, *in Capti. Belli domiq; duellatores optimi.* pro bellatores. Cicero, *2. de legib. Nam æs atque ferrum duelli inſtrumenta.* Liuius, *lib. 6. Belli Macedoni. Quod populus Romanus eo tempore duellum iuſſiſſet cum rege Antiocho.* Caius, perduelles etiam hoſtes dictos antiquitus fuiſſe cum Cicerone tradit, *l. quos nos hoſtes, de verbor. ſign. P. Cic. 1. offic.* Quo nomine nunc patriæ hoſtes dicũtur proditores, legis maieſtatis rei. *Duellum*, inquit Sex. Pomp. Feſtus, *bellum videlicet, quod duabus partibus de victoria contendẽtibus dimicatur: inde & perduellis qui pertinaciter retinet bellum.* Singulare certamẽ duorum hominum dicitur duellum, & ſolius cum ſolo pugna: Grȩcis μονομαχία. Duellum in purgatione vulgari, erat certamen duorum ad purgationem illati criminis initum, quo victor purgatus, victus pro conuicto habebatur. Duplex illa pugna erat, equeſtris & pedeſtris, taliſque formæ & modi, quo conuentum erat inter pugnaturos, vel ab illis qui monomachiæ præerant.

3 ❡ Erat † tamen monomachiæ ſpecies alia, quæ non purgationis cauſſa, ſed vel virium probandarum & periclitandarum ſponte inter aliquos fiebat, vel vt ſpectaculum præberent populo, ex quibus qui virtutis cauſſa id facerent, non erant infames: vt pugiles in ſacris certaminibus, & alii ſimiles. Qui autem vel operas elocabant, vt cum beſtiis ſingulari certamine congrederentur, vel gladiatorio munere publicam ſpectaculum ſanguine proprio ederent, infames fiebant, *l. 1. §. item Senatuſconſulto, cum duob. §§. ſeq. de poſtul. P. l. athletas, 4. de iis qui not. infã. P. l. qua actione, 7. §. ſi quis in collactatione, ad leg. Aquil. P.* Vt & tandem gladiatorũ cruenta ſpectacula ſublata fuerunt, tanquam in domeſtica quiete & in otio ciuili horrenda, *l. vni, de gladia. lib. 11 C. vide quæ dixi de hoc*
4 *lib. 39. Syntag. huius c. 5. nu. 25.* ❡ Fuerunt † & aliȩ monomachiæ ad
oſtentationem virium & audaciæ introductæ, quibus congredi
ſoliti erant depugnantes, vulgo torneamenta dicta, quorum torneamentorum deteſtabiles nundinas, ad quas milites ex conducto ſoliti erant concurrere, improbat & prohibet ius Pontificiũ, vnde mortes hominum, & pericula animarum ſȩpe prouenirent, *c. 1. de tornea. lib. 5. apud Greg.* Cum tamen haſta decertare, leges Romanorum concederent, *l. ſolent, § Senatus, de aleæ luſu & aleatorib. P.* Atq; morientibus in torneamentis denegatur eccleſia-
5 ſtica ſepultura, *ca. 2. de torneam.* ❡ Solitæ † fieri maxime illæ exer-
citationes pugnarum, ab otioſis militibus in acie, vel in honorem heroum defunctorum. Quemadmodũ colligere licet ex Dictys Cretenſis libro 3. de bello Troiano, apud quem refertur in certaminibus propoſitis ab Achille propter victum & occiſum Hectorem, viciſſe quadriiugis equis Eumelum: bigis, Diomedem & Menelaum: in ſagittando, Merionem & Vlyſſem: curſu longo, Aiacem Oilei & Polipoetem: duplici campo, Machaonem: ſingulari, Eurypilum: ſaltu, Tlepolemum: diſco, Antilochum: cæſtibus, Aiacem Telamonium: curſu in armis, Diomedem. Proponit & diuerſa certamina Phæacũ, Homerus, quæ edi iuſſit Alcinous in aduentum Vlyſſis peregrini, publice, præeunte præcone. ❡ Fuerunt † & monomachiȩ veluti ex quadam neceſſitate an- 6
tiquorum, ad ſopiendas bellorum clades imminentes, & ad controuerſias ſopiẽdas. Sic ſingulari certamine Curiatiorum & Horatiorum direptũ bellum inter Romanos & Albanos, victis Curiatiis, qui nomine Albanorũ cauſſam defendebant, ab Horatio qui pro Romanis vicit. Lege prius poſita, vt victis iſtis aut vincentibus commilitonibus, victores vel victi haberentur illi, quorum cauſſam defenderent, *Liuius, in 1. Valer. Max. lib. 6. c. 3.* ❡ Duello quoque Goliæ & Dauidis, illo pro Philiſtæis, hoc pro Iudæis decertãte, bellum maximum ſolutum eſt victo Golia per Dauidem, in ſingulari cum ſuis conditionibus pacto certamine, *1. Reg. c. 17. ca. monomachiam, 2. q. 1.* Quando etiam Vandali ex patriis regionibus egreſſi, cum rege Gundarico Galliis vaſtatis poſtea ad Hiſpanias tranſiuiſſent, & pariter Sueui, id eſt, Alemani Gallæciam apprehendiſſent, & fuiſſet inter hos populos orta quæſtio, & collegiſſent vires belli vtrinq;: ne multitudo clade interiret, conuenerunt, vt diſcrimen duobus pueris bellantibus committeretur. Et ita puero vtrinque in duellum emiſſo, pars Vandalorum victa ſuccubuit, interfectoque illorum puero, Traſimundus ſucceſſor regni in locum Gundarici, ceſſit Hiſpania cum ſuis, *Grego. Turon. lib. 2. hiſtor. Franc. c. 2.*

❡ Videtur † tamen hæc monomachia pertinere ad purgatio- 7
nem vulgarem, per quam iuris vel iniuriæ iudicium euẽtui committitur. Quare & duellum huiuſmodi improbarunt quoque iura. Et clericum qui ſponte duellum obtulerit, vel oblatum ſuſceperit, deponi iubent: ſiue victor ſit, ſiue victus fuerit, *ca. 1. de cleri. pugn. in Duel.* & irregularis fit, ac homicida: ſi per ſe ſiue per campionem, vt dicunt, ſeu pugilem, pro eo datum, occiderit contendentem & monomachum, *c. 2. eod.* Maxime habitus reprehenſibilis, quod vel Deum remediis non humanis tentare voluerit, *c. monomachiam, & ca. Mennam, 2. q. 5. ca. ſi nulla vrget neceſſitas, 23. q. 8. & c. quæritur, 22. q. 2.* Sed & permittit Deus plerumq; in iſtis duellis, innocentes ab eo quo accuſantur crimine, ſuccumbere & necari, propter alia eorum peccata, vt ait c. 1. de purg. vulga. & ita Rhotarius rex, *Quia incerti ſumus*, inquit, *de iudicio Dei, & multos audiuimus per pugnã ſine iuſta cauſſa ſuã cauſſam perdere: ſed propter conſuetudinem gentis noſtræ Lõgobardorum, legem impiam vetare non poſſumus. lib. 1. leg. Longob. tit. de monomachiis.*

❡ Quibus † rationibus etiam mores gentiũ plures inter Chri- 8
ſtianos caſtigantur. Præualuit tamen malitia hominum, vt neceſſariũ aliquando fuerit permittere, legibus Germanorum, Hiſpanorum, Longobardorum, Gallorum, vt videbis in lib. Beliſſarii Neritinorum ducis, de ſingulari certamine. Et in legibus proxime nominatarum nationum, in conſtitutione Philippi regis Gallorum, anni 1306. quam explicat Guido Pap. deciſ. 617. 618. 619. 620. & ſeq. vſque ad 624. Et in tractatu Ioann. de Lignano, de duello. Quamobrem cum improbi mores vix omnino extrudi potuerint, neceſſarium leges illis aliquas, ne laberentur in peius, pro fræno adiicere. Primumque definita ſunt negotia, pro quibus ad certamen ſingulare prouocare liceret tantum. Atque ex conſuetudine Longobardorum, de criminibus obiectis licebit ſe purgare per pugilem, quem campionem dicunt, *lib. 1. leg. Longobard. titu. de malefic. l. fina.* Sic mulieri accuſatæ de occiſo marito per venenum, licebat ſe purgare vel per iuramentum, vel per pugnam ſeu eundem campionem, *l. fin. de conſ. mort. lib. 1. leg. Longob. vide glo. ad §. ſi quis in ver. duellum, de pace tenen. in feud.* qui argam, id eſt, cuculum vocaſſet, de eo accuſatus poterat vel componere, vel per duellum cogebatur probare, *l. 1. de conuitiis, lib. 1. leg. Longob.* Si quis dixiſſet per vim venditionem prædii facere coactum, *l. ſi quis dixerit, tit. qual. quis ſe defend. de eod.* Belliſſarius ait in ſumma, ex legibus Longobardorum permiſſum eſſe bellum ex iuſta cauſſa, ſi rei eius, quȩ in dubium venit, veritas alio modo probari nequit, ſi inſimulatus criminis læſȩ maieſtatis quis fuerit, & alio modo probare non poſſit, accuſatori armis cum accuſato decernendum eſt an verum ſit crimen: ſi obiiciatur, quod patrem quis interemit, vel alium durantibus induciis: ſi alienam vxorem in viri mortem criminatus ſit, vel adulteram dixerit, vel adulterium alicubi obiiciatur vel crimen furti, vel male poſſediſſe per triginta annos vel incendium, vel ſi quis neget pecuniam depoſitam, vel ſoluto debito nihil debere. In legibus Alemanorum, & cum his duellum committitur & pro controuerſia terræ, titu. 85. & pro dote, adlata repetenda, titu. 77. In Gallia Philippus rex, in prouinciis in quibus conſuetudo eſſet duelli per-

mittendi noluit permitti, niſi quatuor concurrentibus, *conſtit. an. 1306.* Primo, ſi liqueat crimen eſſe commiſſum, *l. 1. §. illud, ad Senat. Syllania. gloſ. in c. 1. in princ. de pace ten. in vſib. feud.* a quo tamen commiſſum ſit, nō liqueret. Secundo, vt maleficium quod obiicitur duelli cauſſa, ex eorum genere ſit, quod mortis pœnam habeat, *quod ex facto propoſito conſtabit*, ideo excipitur furtum, etiam ſi pro eo pœna mortis inferatur. Tertio, quod crimen illud proditorie & clam commiſſum fuerit, & alio modo ſufficienter probari non poſſit quam per duellum, *quia in notoriis & probatis non admittitur purgatio, ſed fit condemnatio. c. 2. ca. cum dilectis, de purga. cano.* Quarto, quod is qui duello prouocatur, & de ipſo delicto accuſatur, per indicia & veriſimiles præſumtiones habeatur ſuſpectus, vt in tortura & in purgationibus paulo ante diximus: alioquin enim ſi manifeſtum ſit crimen, vt puta quod quis aliquem voluntarie & ſponte neceſſario occiderit, tunc nec per duellū, nec alio modo accuſabitur, quin capitalem ſubeat pœnā, §. ſi quis hominem intra pacem, de pace tenen. in vſibus feud. Ex quibus conſtat, duellum non temere pro omnibus, nec contra omnes ſine cauſſæ cognitione, nec ab omnibus cōceſſum fuiſſe.

9 ¶ Duellum † ideo nonniſi ab eo qui habet vitæ neciſque poteſtatem, permitti poteſt: neque priuati, qui ſibi indicunt propria auctoritate, immunes ſunt a crimine læſæ maieſtatis, & homicidii pœna, ſi illud commiſerint in monomachia propria auctoritate delata & ſuſcepta. Princeps ſolus permittit hodie in Gallia. Olim permittebat, cauſſa cognita, Senatus Pariſienſis, *Maſue. in ſtylo parlamenta, ti. de adiornam. §. item fallit vbi aliquis aliquem, &c.* curia gubernatoris cum ipſo rectore Delphinatus in Delphinatu: Magiſter militum Galliæ ſeu Coneſtabulus, *Guido Pap. q. 622.* Et Philippus rex, inhibuit anno 1307. Senarcho Tholoſano ne de bello aliquam litem ſuſciperet, & vt loquitur conſtitutio, *ne aliquem proceſſum faceret.* Beliſſarius lib. de ſingul. certamine cap. 5. pugnandi facultatem duello dare tantum ait, principem liberum nemini ſubditum, nec ſine eius permiſſu poſſe fieri. Refert duo exempla, quare Quintius Criſpinus miles, cū eum Badius Campanus iniuria laceſſeret, vt ſi vir eſſet congrederetur, tamdiu cunctatus, donec Imperatorē conſuleret. Et Titus Manlius, cum a Gallo prouocaretur, Dictatorem ita eſt allocutus, iniuſſu tuo Imperator, extra ordinem non pugnauerim, non ſi certam victoriam agnouerim: ſi tu permittis, ero prouocatus. *Qui ſine publica aliqua adminiſtratione maleficum furem, ſacrilegum, & periurum, vel quemlibet criminoſum interfecerit aut trucidauerit, aut membro debilitauerit, velut homicida iudicabitur: tanto acrius, quanto non ſibi a Deo conceſſam poteſtatem abuſius vſurpare non timuit, Idem c. quicunque, 23. q. 8. c. 2. & c ſignificantibus, de homic.* Vt neque vltio permiſſa ſit de eo qui nos inuadit & occidere nititur vindictæ: niſi acceſſiſſet conſenſus principis, qui permittit cum ea conditione, ſi euadere aliter non poſſumus mortis periculum, *l. 1. ibi, veſtram igitur permittimus vltionem quan. lic. vnic. ſine iud. ſe vindic. C. l. ſcientiam, § pen. & l. itaque, ad leg. Aquil. P. l. 2. C. ad l. Cor. de ſica. l. vt vim, de iuſti. & iure.* Et idcirco iudiciorum vigor, iuriſque publici tutela in medio cōſtituta, ne quiſquam ſibi permittere valeat vltionem, etiam ſi alioquin ſit aliquis ſceleribus implicitus, *l. nullus, 13. C. de Iuda.* Prohibitum etiam generaliter, ne quis ſibi ius dicat, *l. 1. ne quis in ſua cau. iud. C. l. 1. quo lega. P. l. penultima, quæ in fraud. cred. P. cum ſimilibus, l. qui iuriſdictioni, de iuriſdi. omn. iud. P.* ne ſibi debitum armata manu repetat, *in l. negantes, de actionib. C.* Nec vitat homicidii pœnam, qui etiam ſalutis communis inimicum & hoſtem, ſceleribus inquinatum, necauerit. Cum quod ſeueritati legum eum ſubtraxerit, tum quod proprium fortaſſis inimicum ſub huiuſmodi vindictæ nomine, conſilio atrociore confecerit, *l. fin. C. de malef. & mathe.* Bellum iuſtum tantum eſt ſolum, quod indicitur & permittitur a Principe, qui habet gladii poteſtatem, *c. quid culpatur. 23. q. 1. c. iuſtum, 23. q. 2. c. igitur, c. omni & c. ſeq. 23. q. 8.* Et armorum vſus, ſine Principe capitalis eſt, *l. 1. vt armo. vſus &c. lib. 11. C. tit. de armis in Auth. l. 1. ad leg. Iul. de vi pub. P.* Neque ius eſt rectoribus prouinciarum, vel ducibus exercituum, concedere inter ſuos milites duellum: quamuis enim gladii ius acceperint a principe, tamen illud limitatum fuit, vt in hoſtes hoc iure vterentur. Sicuti & miles, ius necandi ſed hoſtem, non regnicolam habet. Et ideo ſi tanta temeritate & ſuperbia duces vel exercitibus præfecti impellantur, vt monomachiam permiſerint, rei fiunt maieſtatis: quia cum in hac cauſſa priuati ſint iniuſſu principis bellum gerere dicuntur, & delectum militum habere, & pro poteſtate quam non habent principes agunt, quæ capita ad leg. Iuliam maieſtat. pertinent, *l. 3. ad leg. Iul. maieſt. P.* ¶ Forma † quæ præſcripta eſt duello habito le- 10
gitimo, hęc, vt primum pignus detur, certaminis ineundi ſymbolum, mittitur interdum per fæcialem paludatum, qui Heraldus dicitur, interdum & ad prouocatum literæ inducentes monomachiam, quas vocāt *lettres de defits ou combat.* Interdum pro pignore chirotheca ſanguinolenta ſæpe vt ait Beliſſarius lib. præd. c. 2. Et citatur in ius coram principe, vel coram eo qui poteſtatem habet permittendi duellum, ad duello determinandam diem, horam, & locum. Eſtque ea vocatio vadimonium, cuius die dicta ſiſtere debebit vocatus reus & actor. Et cogitur vocatus velit nolit, reſpondere: data tamen dilatione prætextu abſentiæ amicorum, vt Aufrerius ſcripſit ſe vidiſſe iudicari per Senatum Pariſienſem, *Aufrer. in ſtyl. parlam. titu. de adiornamen. in cau. appell. §. item fallit vbi aliquis, aliquem inuentum Pariſiis.* Hic tamen ſciendum eſt, dictum fuiſſe per curiam ſupremam Pariſiorum, anno 1386. pignora, quæ in placito vocantur vadia, plura proiici non poſſe, ne ab alio quam ab eo qui prouocat ad duellum: alioquin ſi id fieret impune poſſe aliquem detrectare duellum, *ſcribit Ioa. Gallus, in quæſtio. deciſis per areſta parlamenti. q. 72.* Alioque placito cautum, ne liceret a curia, pendente controuerſia duelli, abire, ſine permiſſione eiuſdem curiæ, *Ioan. Gallus, præd. loco q. 171.* In curia agitatur, num iuſta ſit pugnæ cauſſa, num dubia vel certa, *Beliſſar. lib. de ſingul. certa. c. 12.* num debeat permitti, num accipere pignus prouocatus recte recuſauerit, num crimen illatum alio modo probari poſſit, quam duello. Nam hæc eſt cauſſa finalis duelli probatio. Sicque coram rege vel curia olim dicebant monomachiam, indicentes talem reum commiſiſſe tale crimen, in tali loco, tali hora, proditorie vel clam: & tamen ſe illud probare plene non poſſe, nec aliter quam proprio corpore pugnādo: vel per ſe vel per pugilem, quem vocabant aduocatum, vel campionem. Sed & diſcutitur in hoc iudicio, num iniuria quam ſibi irrogatam dicit prouocans, verbalis ſit, an facti: nam pro verbali verbis repulſa, non fit pugna, vt ſi pro verbis, tu es fur, alius dicat, tu mentiris, *idem d. lib. c. 14.*

¶ Si † vocatus ad cauſſam hanc diſcutiendam non aderit die il- 11
li dicta, tanquam in contumacem & confeſſum de crimine quo interpellatur, fertur ſententia. Et ſecundum Beliſſar. cap. 2. poterit prouocans imaginem renuentis & detrectantis, per loca publica ad eius ignominiam conſtituere, vt venire cogatur: etſi adhuc contemſerit, infamiæ nota dignus ſit. Apud Moſcouitas ſeu Ruthenos, purgatio criminum poſt accuſationem delatam ex conſuetudine, duellum etiam eſt, ſi velit accuſatus poſtquam in ius vocatus eſt per *Nedelniſc*, id eſt, per apparitorem, & cauſſa fuerit audita, teſteſque producti contra eum, *Sigiſ. Liber Baro, in comment. rer. Moſcouitic.* ¶ Poſtquam † autem reus prouocatus 12
venerit, poteſt in iudicio coram Principe vel curia, vel alio idoneo, de ſua innocentia verba facere, & modeſte ſaluo honore Iudicis, negare, & aſſerere falſo ſe fuiſſe ab aduerſario inſimulatum, & eum mentitum eſſe: & tunc poteſt vel recuſare pignus iuſtis rationibus, vel docere quod recte non ſit proiectum, vel quod plures male proiecerint, vel quod crimen duello non ſubiiciatur, vel nulla ſint indicia aduerſus eum, vel non conſtet delictum cōmiſſum, vel ſimilia quædam. Aut ſi velit pignus accipere, dicet ſaluo honore curiæ mentitum aduerſarium, idq; ſe probaturum, cum auxilio Beatæ virginis Mariæ, & Beati Georgii militis, certamine ſingulari, vel proprio corpore, vel pugile quem exhibet ſuo periculo & ſumtibus obligatione proprii corporis: & ita ſe pignus capere, cum reſeruatione conſilii, & cum arbitrorum electione. Et tunc vtrinq; auditis contendentibus per ſe vel per aduocatos, iudex ſtatuit ſe adhibito iudicio & cōſilio iudicaturum, num quæſtio pugna decidenda ſit, iubetque ea de cauſſa venire certa die litigantes.

¶ Subinde † die ſtata: fertur ſententia, ex qua ſi pugna indicitur, 13
cōſtituitur locus, dies, & hora, quibus intereſſe pugnaturi debēt. Delegatur a principe iudex qui certamini præſit, qui refelli non poſſit a prouocante, iuris militaris peritiſſimus: & ſi agatur de crimine læſæ maieſtatis eligendus qui præſit prouinciæ, & de criminibus cognoſcere poſſit: ſi militibus ſingulari certamine ſit decertandum, dux exercitus cui dominii iure non ſit ſubditus prouocatus, *Beliſſar. dicto lib. c. 4. & 3.* Prouocatus iudicem, dummodo non ſuſpectum aduerſario, locum & arma ſolet eligere, ſolum commune & tempus vtrique. ¶ Locus, † ſeu arena, aut ca- 14
tadromus, concluditur palis & limitibus, & vt vocant *barriers ou liſſes.* Monomachiæ locus habere debet, vt ait Claudius la Sale, *in lib. de Duel.* in longitudinem, centū viginti paſſus: in latitudinem,

octogin-

octogiſta, in catadromo fiunt duo tentoria. Tentorium, quod a dextris principis vel certaminis præſidentis eſt, deputatur prouocanti: quod a ſiniſtris, prouocato. Et in quolibet tentorio, habet pugnaturus ſuum mantile, panem & œnophorum, quæ egreſſuris ad pugnam offeruntur: poteſt & quilibet ſecum edulia deferre, quæ vnius diei victui ſufficiant.

15 ❡ Die † & hora adueniente pugnæ ſtatæ debent ad catadromum venire armati illis armis quibus pugnare conuentum eſt: a domo olim non licebat etiam per aliuta arma quam per ſe deferre, diſpenſauit tamen Philippus rex, vt alio præeunte poſſent per illum deferre. Iuſſit tamen optimus & Chriſtianiſſimus rex, vt egredientes domo armati, & ſingulis fere paſſibus ſe ſalutifero ſigno crucis præmunirent, & vexilla deferrent, vel præferri iuberent, quibus diuorum, aut crucifixi eſſent appictæ imagines: non alia de cauſſa, vt opinor, quam vt Chriſtianos ſe eſſe cogitarent, & ad mortẽ ſe pergere: vtq; ſe appararent eidem, ſi opus eſſet. In catadromo, die certaminis, præco paludatus ſeu fæcialis, armorum heraldus prodit in catadromum, & ſilentio impetrato per triplicem vocem Gallis conſuetam, *or oyez, or oyez, or oyez*, refert nomine regis alta voce, diem illam eſſe ſtatam certamini tali, ad probandum corpore & pugna intentionem ſuam, poſtea recta via in catadromi duas portas veniens, & prouocantem & reum vocat iuſſus a Principe, vel a præfecto iudice. Dehinc vocati ingrediuntur catadromum, & ſe Principi ſiſtunt & offerunt.

16 ❡ Adeſt † præfectus catadromi, quem vocant *Mareſchal du camp.* & præco interim nomine Regis alta voce leges dicit adſtantibus qui certamen viſuri aduenerunt, præfato ſilentio prædicto more, *or oyez*, ne quis nobilium vel aliorum arma ferat, non enſes, non pugiones, exceptis cuſtodibus catadromi. Secundo, ne quis inibi equum habeat: alioquin ſi nobilis ſit, equo priuetur: ſi ſeruilis, aut vilis conditionis, aure trũcetur. Tertio, ne quis ingrediatur intra duos fines catadromi, quos vocant *les deux liſſes*, exceptis iis qui inibi ordinantur: imminente & indicta id attentantibus pœna mortis. Quarto, iubet omnes in terra conſedere, non in ſcamno, ſub pœna abſciſſionis manus vel pedis, vt facilius pugnantes videãtur ab omnibus. Quinto, iubet ne quis eorum qui adſit, tuſſiat, loquatur, ſignum faciat, ſpuat, indicta pœna cõfiſcationis corporis & bonorum. Dum citat præco ad ianuam vtrumque monomachum, num adſit talis: reſpõdet citatus, vel eius aduocatus, adeſt vocatus & ſiſtit ſe corã Rege ſuo, vel ſuperiore principe, vel coram ſuperiore vel iudice competente, armatus vt nobilis, paratus ingredi catadromum & pugnam contra talem vocatum, pro hoc vel illo negotio, tãquam aduerſus proditorem & infidum, vel talis criminis reum, cuius rei gratia inuocat teſtem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & beatam virginem eius genitricem Mariam, Diuum Georgium militem, & alios ſanctos. Quibus dictis præfectus catadromi, vel magiſter campi ad regem vel iudicem it, relaturus quæ dixit ingreſſurus catadromum. Iubet autem rex aut iudex, eum armatum vti eſt, vel equitem vel peditem admitti: is vero ingreſſus cum ſuo conſilio regi ſiſtitur, & vel per ſeipſum, vel per aduocatum eadem regi dicit, quæ præfecto catadromi, cauſſamque ſui aduentus.

17 ❡ Proteſtatur † autem qui admiſſus eſt ita, & prouocauit ad certamen. Primo, vt poſſit pugnare eques aut pedes, prout ſatius ei videbitur: cum armis quæ defert, aut ſine his, inuadendo aut defendendo. Secundo, quod pugnaturus ſit cum armis permiſſis & non vetitis in regno, quibus ſi vtatur aduerſarius illi adimantur, & nulla alia in eorum locum dantur. Tertio, proteſtatur, vt ſi aduerſarius arma ferret vetitis artibus, aut per maleficium fabricata, aut breuia, aut incantationes dæmonum, quæ poſtea manifeſta fierent, non ideo lędatur, vel minuatur eius bonum nomen, bonave fama, aut ius, ſed aduerſarius ob ea plectatur. Quarto, vt ſi contigerit Sole occidente nondum vulneratum vel victum eſſe aduerſarium, detur ei ex ſequenti die tantundem quantum lapſum ex præſenti eſſet, ad conficiendum integrum diem ſecundum mores, conſuetudinem & conſtitutiones. Quinto, vt ſi contingat ſtata hora aduerſarium non comparere, ne poſthac audiatur. Earumque proteſtationum & petitionum petere poteſt ius ſibi dici. Eadem petit & proteſtatur, eademque forma admiſſus aduerſarius, ſeu interpellatus qui pignus duelli ſuſcepit. Poſtea autem recipiunt ſe in ſua tentoria monomachi.

18 ❡ Et † rurſus præco ſecundo vocat in ſingulas portas catadromi, quæ duæ ſunt, conuerſus, primum prouocantem, qui admiſſus, pedes armatus quibus vti vult armis, relecta lorica, comitatus ſuis conſiliariis & catadromi cuſtodibus, ſe genibus flexis coram Principe vel iudice ſiſtit, quem vnus ex latere principis alloquitur & adiurat, propoſita imagine Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi, ne immemor ſuæ ſit ſalutis, recordeturq; imminere æternã damnationem, ſi calumnietur: Deum illum vt adiuuet precatur, ſi iure ſit pugnaturus: ſtatim prehẽſis ambab. pugilis manib. ſubmotis chirothecis, eas ei admouet ad imaginẽ, verbaq; concepta iuramẽti quę ipſe ſequitur, præit: *Ego talis iuro ſuper memoriã paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti, & in fide veri Chriſtiani & ſancti baptiſmatis quæ a Deo conſecutus ſum, me habere vtque vere arbitror, bonam ſanctam, iuſtamque querelam & ius, in pignoris datione facta tali, pro tali quæſtione & crimine, contra talem qui falſam & impiam vult defendere cauſſam, prout hodie fidem & probationem corporis mei obiectione, faciam, cum Dei auxilio & beatæ virginis Mariæ, & beati Georgii militis.* Hocque præſtito iuramento, repetet tentorium cum illis qui eum adduxerant. Eoque reducto cuſtodes catadromi in aliud defenſoris pergunt tentorium, & eodem modo forma, & iuramento de iuſta defenſione deuinctum ducunt ad principem, & reducunt in tentorium. Subinde ambo pugiles a cuſtodibus diuiſis, vna ducuntur coram imagine crucifixi & Principe vel iudice, cuius conſiliarius vnus, vel præfectus catadromi, ſeu magiſter arenæ, pugilibus geniculatis apprehendit manus, & in vtrumque latus crucifixi admouet, & poſtea iubet iiſdem ſibi mutuo dexteras dare & iungere, eoſque ita verbis affatur. Tu talis, qui prouocaſti ad certamen, & tu talis qui ſuſcepiſti: videte, perpendite & contemplamini ſacratiſſimæ paſſionis Dominicæ memoriam, ex qua periculum animæ corporis imminet ei qui iuramento præſtito & præſtando peierauerit, conſiderate ſententiam iramq; Dei in eum qui iniuſta contendit, & quod Deus opitulatur iuſtam cauſſam fouentibus, obſiſtit autem impiam defendentibus: ſcitote melius ſatiusque eſſe incidere in manus hominum, quam in manus Dei: adhuc ſupereſt pœnitentiæ locus, reſipiſcite antequam contendatis iniuſte. Viſne tu talis, qui iuraſti antea te iuſtam cauſſam fouere ſacramento idipſum confirmare: tune qui pignus ſuſcepiſti, viſne iterum idipſum iurare? Hiſque dictis, ſi nolit iurare, & dicti factique pœniteat, relinquuntur arbitrio & miſericordiæ iudicis vel Principis ante pugnam, & reducuntur in tentoria propria. Quod, ſi velint iurare, iurabunt præeunte conſiliario Principis, vel Magiſtro ſeu Mareſchallo campi in hæc verba: *Ego talis prouocans, iuro ſupra veram imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in fide baptiſmi, quod conſecutus ſum a Deo, in ſpe gaudiorum Paradiſi, quibus abrenuntio & pœnas damnationis æternæ deligo in animam, vitam & honorem meum, ſi ſciens fallo, & ni arbitrer me iuſtam cauſſam fouere expugnandi talem impiũ proditorem, aduerſariũ quem in conſpectu habeo, video, & manu teneo. Huiuſce rei gratia inuoco in verum iudicem, Deum, beatam virginem Mariam, beatumq; Georgium S. militem. Quæ vt fidelius exſequi poſſim per iuramenta præſtita iuro, me non deferre nec decreuiſſe ferre mecum, aut ſupra equum verba, lapides, herbas, incantamenta, inuocationes Dæmonum quæ me poſſint iuuare, aut ei nocere? neque quicquam aliud præter ius meum, equum meum, armaque mea, & cum hoc oſculor hanc veram crucem, & taceo.* Eadem iurat & eodem modo, qui defendere decreuit. Subinde ſe in pedes erigunt, iubetque conſiliarius vel Magiſter campi, eos ſibi iterum mutuo dextras dare, & prouocantem prouocato dicere. *Prouoco te talis quem ego dextera teneo per ſacramenta quæ præſtiti, cauſſa ob quam ad ſingulare certamen te prouocaui, vera eſt: & ideo iuſte te prouocaui, & hodierna die te expugnabo: tu contra, iniuſtam foues cauſſam, iniuſteque eam tueri & defendere vis: teſteſq; eadem re appello, Deum, beatã virginem Mariam, & beatum Georgium bonum equitem ſeu militem.* Prouocato autem iubet dicere, ſe præeunte: *Et ego talis, quem dextera teneo, per ſacramenta iam præſtita dico cauſſam ob quam me prouocaſti falſam eſſe & iniquam, & proinde me iuſtam ac rationabilem habere defendẽdi, teq; expugnandi & repellendi hodie aduerſum iniuſtam & falſam obiectionem & criminationem ob quam me interpellaſti, cum bene ipſe noueris te peſſime & impie mentiri: vt in teſtes, Deum, beatam virginem Mariam, & diuum Georgium bonum equitem inuoco.* Hiſque dictis genua iterum flectunt, & deoſculata imagine crucifixi in tentoria redeunt. Has formulas vir in aulicis negotiis experitiſſimus Claudius de la Sale præſcripſit. Beliſſarius capite ſexto, aliud iuramentum per iudicem vel principem a pugnaturis exigendum docet: *Se non ob aliam cauſſam pugnaturos, quam vt veritas illuceſcat: nec odio, nec alia quam ſui honoris tuendi cauſſa, & in defectum probationum.*

19 ¶ His † peractis in medium catadromi venit præco, & iterum nomine regio quemque adſtantium iubet ſuo loco conſedere, quiete, ſeve temperare a ſignis, ne tuſſiat, ne excreet, ne ſe moueat. Adſunt pugiles ad pugnam parati, quibus omnibus in ſuis ſedibus ſe continentibus, iubet iterum præco, vt certamen ineant, verbis ter repetitis, *faictes vos deuoirs, faictes vos deuoirs, faictes vos deuoirs*: quibus dictis ipſe ſe ſubducit iuxta catadromi palos. Explicatur iuxta cuiuſque pugnaturi tentorium interim mantile, œnoforus & panis. Prodit in medium præpoſitus campi ſeu Mareſchallus, & interrogat pugiles, num parati ſint ad certamen, illiſque ſe paratos reſpondentibus, ille progreſſus in medium arenæ deferens pignus certaminis, ſeu chirothecam, alta voce clamet ter, *ſinite hos abire*, proiicitque pignus in medium certaminis, concurrunt tunc pugiles vel equites vel pedites. Exeunt autem eorum conſiliarii vallum ſeu palos catadromi, finem & exitum pugnæ exſpectantes: niſi iudex certaminis aut Princeps permittat vnum aut duos vtrinque adeſſe catadromo, vt melius certamen obſeruent, deſpiciant, audiant & poſtulent pro iure ſuæ partis.

20 ¶ Certamine † inito, quæritur quis pignus lucretur, quod vocant, *oultrer le gage*, aut liberare a pugna. Et dicunt in duobus caſibus id accidere: primus, ſi alter pugnantium fateatur culpam, & ſe dedit. Secundus, ſi alter eorum pellatur extra catadromi vallũ, vel palos viuus aut mortuus. Nam in hac pugna edicitur, vt ait Belliſſarius, cap. 10. ne extra vallum vel ſeptum pugnetur: & extra pugnans pro victo habetur, niſi caſu vel ſine culpa ſua, ſepta tranſiliret, puta ſi forſan equus ferox ſe ſubſtrahat fræno non obtemperans, quo caſu iudicio omnium habito & ſuffragiis, ſine culpa pugilis factum, in pugnam reducitur. Cauſſa interim pugnandi mutanda non eſt, *Belliſſarius præd. lib. de ſingu. certam. c.* 11. nec ſemel victus iterum prouocare poteſt. Victo vel proſtrato, vel adhuc viuente vel mortuo aduerſario, eius corpus relinquitur præfecto catadromi ſeu mareſcalcho campi, vt Iudex vel Princeps de ſupplicio eius ſtatuat, vel eius miſereatur. Victor Principi vel iudici geniculatus ſe ſiſtit, quęrens num debito functus ſit officio: quo caſu Princeps a certamine eum abſoluit, & ille in propria tẽtoria cum ſuis & amicis redit. At ſi victus adhuc viuit, vel mortuus eſt, proſtratus a præconibus paludatis, ſeu heraldis erigitur, exarmatur, ligulis armaturæ ruptis, arma per catadromum ſparguntur, & rurſus in terram proſternitur, donec iudex & Princeps quid de eo factum velit, ſtatuerit. Obſidibus eius victori datis & retentis, donec ſatisfecerint eidem aduerſario, & bona victi fiſco addicta fuerint Principis, & ſi reus vicerit, tutus in poſterum ab illato crimine erit, tranſitque negotium in rem iudicatam, vt neque de eo inquiri poſtea poſſit, nec iam inquiſita noceant. Si concurrentibus duellantibus cum equis vterque proſternatur eodem mutuoque impetu iudicatur pro defenſore: quia actor non probauit, *idem Belliſſarius vbi ſupr. cap.* 19. Ex ſententia Belliſſarii, *cap.* 15. videtur poteſtati victoris abſolutæ conceſſus victus: & ideo ait victorem victo debere imperare honeſta, non turpia, obſequendumque victori, ſed non vt nobilis iubeatur agrum colere, fodere, pecora cuſtodire, ſeruile opus agere, nec oportere in eum crudeliter ſæuire.

21 ¶ Et † hæc hactenus de forma duelli dicta ſunt, nunc admoneo pugnas has fieri debere a perſonis idoneis tantum, neque duellum permiſſum, niſi inter perſonas æqualis fere dignitatis. Et ideo inferior a ſuperiori cui ſubiicitur, cogi non poteſt ad pugnam, *Belliſſar. eod. lib. ca.* 7. & fere omnes qui non admittuntur in iudicio, reiiciuntur a pugna, turpitudine vitæ notati, infames, deſertores exercitus, quæſtuariæ mulieri inſeruientes, emanſores, cauponam exercentes, qui dimicantem in prælio dominum deſeruerunt, colonus, villicus, crimine capitali damnatus: deportatus, hæreticus. *idem cap.* 8. Et quia pares debent eſſe commilitones, ſi ignobilior ad certamen ſuperiorem prouocet, poteſt nobilior parem loco ſui ſubrogare: non contra, ſi nobilior ignobiliorem prouocet. Nam tunc ignobilior vel nobilior, alium nõ ſubrogat. Subrogat prouocatus, ſi minor ſit 25. annor. vel maior ſexaginta mulier quæ adulterii poſtulatur, ſi ſeruus abſens furti accuſatur, & ſi teſtes ſint varii. *de his Belliſſar. eod. c. 9. exſtat & lex fi. tit. qualiter quiſq; ſe defen. debeat, lib. 2. leg. Langobar.*

22 ¶ Victo † tamen ſubrogato, victus cenſetur ſubrogans, *idem Belliſſar. d. cap.* 9. Meminit Belliſſar. *cap.* 3. cuiuſdam legis Friderici II. Imperatoris, per quam ſi prouocatus aliquo corporis membro ad pugnam deſtitutus mancuſque ſit, eodem & procurator carere debeat, nec vllo modo eo in ipſa pugna vti. Nec ſi eques ſit prouocator, prouocatus vero pedes, vt reo potius quam actori iura fauent. *l. actuarios, de actio. P. l. fauorabiliores, de reg. iur. P.* Finis duelli, eſt probatio occultorum, & purgatio indiciorum. Inde rationes quoque petuntur, ad miſſam ex cauſſis & præſumtionibus vrgentibus monomachiam, ne maleficia clam commiſſa haberent diffugium, & delinquendi tolleretur ſecuritas & occaſio.

¶ Sed † & nobiles tantum tribuerunt honeſtati, glorię, & bo- 23
næ famæ, vt potius eorum quam vitæ rationem habendam putent: & præſtare honeſte mori, quam turpiter cum ignominia viuere. Alii etiam facile credunt, Deum veritatem manifeſtaturum in hoc certamine. Sed certe, vt litis & iudiciorum dicimus exitus eſſe incertos & dubios, eo magis certaminis huius trucem & immanem congreſſum, aleæq; dubiæ rati ſunt Chriſtiani, per rationes in vulgari reprobanda purgatione adductas ſupra capit. 15. Sed eo maxime, quod quis tentare Deum videatur, & nimium de ſua iuſtificatione cõfiſus, in mortem ſpontaneã perueniat, inſcius an amore vel odio Dei dignus ſit, & num pro aliis peccatis, quib. omnes abunde ſcatemus & conſtringimur, dignus quoque ſit in certamine a Deo relinqui, & eius deſtitui ope. Recte D. Auguſtin. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 22. & 23. docet, non eſſe magnanimi animi, neque Chriſtiani, mortem ſibi accelerare. Et vtinam nobiles, quid eſſet mors, & quid poſt mortem exſpectare oporteat animo conciperent & reuoluerent cuius ſint diſcipuli, & cuius nomine Chriſtiani appellantur: certe, vt arbitror, iſtas deponerent vanas & tumidas iactationes, & ſeſquipedalia ſuperba & paganica bella, & Dei iudicium potius exſpectarent, & vindictã ab eodem hoſtiũ & malefactorum, vt ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, viuendo & moriendo exemplo ſuo nos docuit.

¶ Et † ſi milites efferati aut potius feræ, his non acquieſcant, Iu- 24
dices & reges, quorũ munus eſt ſalutẽ Reipub. curare, has monomachias & gladiatoria ferina ſpectacula non patientur. Quemadmodum etiam Tridentina Synodus, in ſeſſio. 9. in decretis reformationis generalis, recte ſtatuit, vt quicunque duellum conceſſerit, excommunicetur. Ex quo concilio reuocata extrauag. Ioan. 22. titul. de torneam. incipiens: *Qui in futurorum euentibus*, in extrauag. Ioan 22. per quam tollebatur ſancta conſtitutio Clemen. 5. qui prohibuerat torneamenta ſeu decurſoria, quæ vocant *Iouſtes*, quæ habent monomachiæ periculum. Et melius certe etiam eſt redire ad hanc conſtitutionem. Quod & Henrici II. Regis noſtri caſus & infeliciſſimus euentus docuit.

¶ De † haſtiludiis tamen ſeu exercitiis, quibus nobiles ad ha- 25
ſtam vibrãdam inſtruuntur, & de brauio, curſu, & recta directione certant, vel ad annuli immiſſionem, vocant *la bague*, vel ad ficti hominis & vmbratilis pugnam, quem vocant *Quintaine*, nihil reprehendo: ibi enim exercitium ſine propoſito necandi diſcrimine, & concurſus iuſtam habet cauſſam.

## De concluſione litis. Cap. 17.

1 *Concluſio in cauſſa quid, num, de ſubſtantia iudicii. num.* 2.
3 Forcluſion de produire.
4 *Poſt concluſionem in cauſſa, nihil fieri debet a litigantibus in lite: paucis exceptis. num.* 5.

VBi † litigantes ſatis ſuperque exiſtimant probatam eſſe ſuam 1
intentionem, nihil ſe iudicem morari, quominus ſententiam dicat, profitentur, & fit concluſio in cauſſa. Concluſum autem dicitur in cauſſa, quando litigantes renuntiarunt omnibus allegationibus & exceptionibus facti & iuris. *Innoc. in c. paſtoralis, & ibi glo. in ver. concluſum, de cauſ. poſſeſſ. & proprie glo. in §. quia vero, &c. de teſtib. in Authen. ad ver. concluſerunt, glo. in c. cum dilectus, de fide inſtrum.* Illud enim ſignificat verbum *Concludere*, videlicet claudere vtrinque aleam concertationis, ne vlterius progrediatur. Et ideo vnica eſt, ſed ab vtraque parte litigantium ſimul.

¶ Hæc † de omni negotio controuerſo fieri debet, ante ſen- 2
tentiam iudicis, vel pro facta haberi: vt inter moroſos litigantes & fugientes ſæpe iudex ſtatuit, habere pro renuntiato & concluſo in cauſſa, niſi fiat certo præſcripto termino editio, productio & concluſio. Non enim eſt de ſubſtantia, vt concludatur ſemper, ſed quandocunque vbi negotium inſtructum videbitur eſſe, iudici ſententiam feret. *clem. ſæpe. §. & quia, & ibi Cardin. 19. quæſt. de verb. ſign. Ioan. Andr. in additionib. ad Specul. titul. de renuntiat. & conclu. Felin. ad ca. cum Ioan. & Andr. de re iud.* Et ita non eſt de ſubſtantia iudicii concluſio partium in ſummariis, beneficialibus, & aliis quibuſdam: contra, in profanis ordinariis, *glo. in clem.*

*ſæpe*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſæpe,in verb. concluſione,de verb.ſign.Felin.in c.cum dilecti,6.colum. verſ.quinto ſcias,de fide inſtru.* niſi in cauſſa denuntiationis, vel accuſationis, vbi non requiritur renuntiatio,& concluſio, vt notat Bald. in l.libellorum,de accuſat.P. Vide de hoc Guid.Papæ.deciſ. 72. Quare vtrunque litigantes, probationes edunt penes actuarium,cum repertorio omnium inſtrumentorum quibus in cauſſa vtuntur, eiurantque productioni alii, concludunt & inter acta producunt concluſiones,quas vocant *leur dire par eſcript.*

3 ¶ Interdum † Iudex definit tempus,intra quod teneantur litigantes edere quæcunque voluerint,cum comminatione, poſt tempus non eſſe admittendos. Interdum vno ſolo ex litigantibus edente, is libellum iudici offert, vt reſcripto ſeu appunctamento,iubeatur aduerſario edere intra certum tempus,quod vocant *appoinctement de requeſte de forcluſion*,de quo reſponſo eiuſque ſignificatione, vel intimatione aduerſario facta, ſi liqueat iudici, nihil moratur ſententiam eius,quod aduerſarius interpellatus nihil produxerit vel ediderit. Interdum coram actuario vel ex conſenſu,litigantes conueniunt de tempore peremtorio, intra quod & repertorium faciant & edant, & dicant quæ velit, extra quod non admittuntur ad nouas productiones,*glo.in ca quoniam contra,in ver.concluſiones,de probat.* niſi forſan ex gratia admittantur per reſcriptum ad libellum,ea de re iudici porrectum.

4 ¶ Neque † poſt concluſionem dantur dilationes vlterius, *l. cum a nobis,C.de dilatio.*quia finis & effectus eius eſt,vt negotium in cauſſæ proſecutione finitum eſſe videatur, & propterea nõ admittatur mutatio modi agendi, *ca.paſtoralis,de cauſ.poſſeſſ. clem.2. vt lit.pend.* quia per eam vlteriori productioni renuntiatur. *c.auditis,de procur.ca.cum dilectus,de fi.inſtru.ca.2.de reſtit.in integr.in 6.d.clem.ſæpe, de verb.ſign.*

5 ¶ Exceptis † caſibus,quos explicat Rob. Maranta, parte 6. ſui ſpeculi cap. de concluſione: videlicet quod poſſit allegari poſt concluſionem,ius:reſtitutio in integrum per minores & eccleſias impetrari:iuramentum in ſupplementum probationum deferri, dummodo ſit petitum ante concluſionem: probatio exhiberi, quę poſtea nata eſt ex cõfeſſione aduerſarii:poſſit & probatio per rei euidentiam proponi & per loci aſpectum: omniſq; probatio alia pro defenſione rei in criminalibus allegari. Poſſint quoque interrogationes aduerſarii fieri poſt concluſionem, etiam ad inſtantiam partis. *vide de his etiam,vltra Marantam, Aufrerium in deciſ. capel.Tholo.* 174.*congerit fere omnia & plura Nicolaus Antonius Gratius,in additio.ad Weſtrium introductio.ad aulæ Roma. actionem,lib.4.c.4.num.*25.Guido Papę generaliter praxim docet, deciſ.201.quod renuntiatione vel concluſione facta in cauſſa,intellige tamen ante ſententiam, poteſt altera pars litigantium admitti ad producendum literas vel inſtrumenta,ſi aliqua ratio euidens moueat iudicem, *adde Cardin.in clem* 1.*qu.*14. *de cau.poſſeſſ. Specul.in tit.de renuntiat.& conclu.* maxime ſi inſtrumenta ſint de nouo reperta,quod probatur per iuramentum producentis,*Bar. in l.admonendi,de iureiurand.*Sed & receptum ait, quod teſtis ſemel examinatus & publicatus, renuntiatione & concluſione facta in cauſſa,poteſt iterum in cauſſa ex officio iudicis examinari. *Bart.& gl.in l.repeti.de quæſt. Bar. & Bal.in auth.qui ſemel,de prob. C.Panorm.in c.cum clamor,de teſtib.* Poteſt & admittere Iudex, ſi qua iuſta cauſſa ei videbitur,& iuramento a producente recepto. quod malitioſe non procedat,ſuper eodem articulo poſt concluſionem,etiam teſtes examinare. §.*quia vero multi, de teſti.in auth.* Sed illud vix fit, niſi neceſſarium videatur iudici. Neque enim tenetur deferri productioni,vel eam admittere: potiſſimum ſi producens clam & inſcio aduerſario velit edere inſtrumenta, vt eum ſupplantet & iudici imponat,vel vt litem differat.Quod ſi admittat,non abſolute admittet inſtructo negotio,ſed cum clauſula libello addita, *pour y auoir tel eſgard que de raiſon*, & ſine dilatione iudicii. Alioquin enim lites eſſent immortales,nec finis vllus eſſet eis, contra quam diligenter & accurate iura ſtatuunt.
*l.properandum,de iudic.C.c finem litibus,de dolo & contum.cum ſimil.*

# DE LEGITIMIS PERSONIS,

## INTER QVAS IVDICIA FERANTVR.

## LIBER XLIX.

### De foro legitimo conſtituendo ratione actorum reorum & negotiorum.

### Cap. 1.

1 *Continuatio,lib 48.& 49.*
2 *Iudex in actoris & rei perſona quid conſiderabit.*
3 *Actor in iudicio quis dicatur.*
*Et reus item.num.4.*
5 *Forum quis ſortitur ratione domicilii, rei, contractus, & loci ſolutionis faciendæ.*
6 *Arbitraria actio.*
7 *Sigillorum regiorum ſubmiſſio, & iuriſdictio.*
8 *Incarceratio decreta non ſuſpenditur appellatione.*
9 *Delicti forum quod ſit legitimum.*
10 *Iuriſdictionis ſuæ terminos iudex excedere non poteſt.*
11 *Iudices eccleſiaſtici & temporales ſeparatas habent iuriſdictiones ratione rerum & perſonarum.*
12 *Clerici de quibus rebus conueniri poſſunt coram iudice ſeculari.*
13 *Pœnæ ſanguinis non infliguntur ab eccleſia.*
14 *Milites hoſpitalarii S.Ioannis Hieroſolymitani,non infligunt pœnas in ſuis iuriſdictionibus.*
15 *Laicus coram iudice eccleſiaſtico,nec contra clericus coram laico conueniendus eſt: niſi reconuentione quis vtatur.*

1 EXplicato ordine iudiciorum, ſecundum quem controuerſiæ proponendæ ſunt & excutiendæ, agendum eſt de perſonis, quarum poſſit eſſe iudicium. Et quæ legitimam agendi vel defendendi perſonam habere dicantur,vt poſtea ad ſententiam poſtremo libro, Deo fauente, & ad eius exſecutionem perueniamus.

2 ¶ Etenim † ex perſona eorum inter quos controuerſia fuerit, & ex genere cauſſæ, iudicium conſtituendum eſt. *Vlp.in l.3.§ Iulianus,de lib.exhib.P.*Secundumque modum, vitam perſonarum, *l.de minore,§.tormenta, de quæſtio. P. l. non omnes, a barbaris, de re milit.* & dignitatem, *l.Padius,de incen.ruin.& nauf.P.* lites ordinari & ſopiri debent. Quare perſonæ actoris & rei, principales iudicii partes, & præcipua membra, *l.inter litigantes,& l.Iulianus, de iudicib.P.* conſiderari par eſt: eorumque negotia quæ agitant, & coram quo egerint. Quare in ſumma, ſed ordine dicendum quis actor reuſque dicatur,quotuplex,de quo quæſtio ſit, quis agere vel defendere poſſit. Et num ſecundum ius coram legitimo iudice contendatur, an is Iudex ſuſpectus ſit: ob quam cauſſam,aliæ pro illis perſonæ admittantur, nempe aduocati, procuratores,& ſimiles aliæ. Rationeſque eorum omnium erunt ſingulis attributæ & annexæ.

¶ Actor † in iudiciorum tractatu,is eſt,qui ad iudicium prouo- 3
cat,id eſt,qui aſſerit iudicio aliquid dari,fieri aut ſolui debere, qui impellit qui compellat alium primum ad iudicem.*l.2.§.fi.com.diuid.P.in le.tribus,de iudic.P.l.acti. C.de probat.* Et in præiudicialibus actionibus,is actoris partes ſuſtinet, qui proponit intentionem,ſecundum id quod intendit. *l.generaliter in præiudiciis, l.12. de act.P.*Agere etiam is videtur,qui exceptione vtitur. Nam reus in exceptione,actor eſt, *l.1.de except.in P.* quia probare tenetur, quod tendit excipiendo,*l.in exceptionibus,19.de probat.* niſi negatiua ſit pura,cuius non eſt per rerum naturam probatio.*l.2.eod.P. c.quoniam contr.eo.ap. Greg.* Alioquin actionis verbo non venit exceptio, quia actioni opponitur dum concurrit, & eſt actionis excluſio.*l.verbum oportebit,§.actionis,de verb.ſign.l.2.de except.P. §.1.eod.ap.Iuſtin.*

¶ Reus † relatiuum eſt ad actorem:& eſt,qui rei incumbit,qui 4
rem defendit in iudicio, *ca forus,de verb.ſign. Reos autem*, inquit Cic.4.de Orat. *appello,non eos modo qui arguuntur,ſed omnes quorũ de re diſceptatur.* Et rurſum, *Reos appello,quorum res eſt.* Defenſor quoque idem eſt, qui vices eaſdem gerit. *l.minor, de procura.P.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN